APHORISMI

EUCHARISTICI,

ID EST

PIAE ET SANCTAE CELEBRATIONIS
ET COMMUNIONIS MONITA.
EX
PRAECIPUIS ASCETIS COLLECTA ET ILLUSTRATA,


OPERA


JACOBI MERLO-HORSTII
SS. THEOL. LIC. B. MARIAE IN PASCULO COLON. PASTORIS.

EDITIO NOVA CUI ADIECTA AUTHORIS VITA,

PROCURATA

A MATTHIA WILHELMO KERP,
AD S. ALBANUM COLON. PASTORE.





PRAEFIXA: J. MERLO-HORSTII IMAGO.

COLONIAE AD RHENUM.
TYPIS ET SUMTIBUS J. P. BACHEMII.

MDCCCXXVIII.



R. D. IACOBVS MERLO HORSTIVS

S.R.E.C. PASTOR B.V. MARIÆ IN PASCVLO

Coloniæ obiit A° 1644. 21 April. æt. 5?.

REVERENDISSIMO, CELSISSIMO

AC

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

FERDINANDO AUGUSTO,

ARCHIEPISCOPO COLONIENSI

COMITI SPIEGEL DE DESENBERG ET CANSTEIN,

SANCTAE SEDIS LEGATO NATO, SUPREMO REGNI BORUSSICI CONCILIO ADSCRIPTO, EQUITI AQUILAE RUBRAE IMAE CLASSIS etc. etc.

VITA IACOBI MERLO-HORSTII.*)

IACOBUS MERLO natus fuit in Horst, pago olim Dioeceseos Ruremundanae, ex parentibus haud fortunatis sed probis, IACOBO MERLO et HELENA MATHEN, colonis, anno 1597 die 24 mensis Iulii. Patre ruri a militibus crudelem in modum mature interremto, pia mater puerum octo annorum, cui Dei timorem, vitiorum fugam et virtutis amorem a teneris cum lacte instillaverat, avunculo, IOANNI HORSTIO, Metropolitanae ecclesiae vicario, viro aetate quidem provecto, sed vitae morumque integritate conspicuo et pietate maxime commendato, Coloniam educandum transmisit, a quo iis, quibus puerilis aetas ad humanitatem solet informari artibus, per triennium imbutus fuit, eiusque mores ad omnem honestatem compositi. Tum litteras humaniores in gymnasio trium coronarum apud Patres societatis Iesu didicit. Pietate erga Deum, sanctosque reverentia, erga magistros observantia nulli puerorum secundus erat, labore magis et studio diligentiaque, quam ingenio, primos aequabat scholares. Adolescens, Rhetoricam auspicatus, avunculi iussu e gymnasio Coronarum transiit ad Gymnasium Montanorum, quod inter tria vetustissimum fuit, ut in eo philosophicis disciplinis imbutus, et Magistri titulo decoratus litteras ingenuas profiteretur, et doctior et ad

*) Conf. Veri et pii sacerdotis idea, seu Vita R. D. IACOBI MERLO-HORSTII, Pastoris B. Marine Virginis in Pasculo Coloniae, Ss. Theol. Licent. — Coloniae apud Ioannem Kinchium. Anno MDCXLV.

obeunda munia ecclesiastica prodiret instructior, simulque Swolgianae fundationis beneficio frueretur. Huius gymnasii Praeside sive Regente P. R. D. Ioanne Gelenio, Collegii ad St. Apostolos Decano, et postea Serenissimi Principis Electoris et Archiepiscopi Vicario in spiritualibus generali, viro et doctrina claro et pietatis in iuventute fovendae studiosissimo, duce et moderatore studiorum suorum usus est adolescentulus, eoque authore, exactis philosophiae spatiis anno 1616, undeviginti annos natus contubernalibus sive convictoribus gymnasii Montani praefectus. Coepit eodem tempore Theologiae simul et pervolvendis optimis quibusque scriptoribus diu noctuque assiduam navare operam, et Ss. Patrum, praecipue Angelici Doctoris, excutere monumenta tanto sapientiae studio et cupiditate, ut animi nimia contentione valetudo corporis interdum debilitaretur.

Cogitanti de vitae statu amplectendo imprimis arrisit iuveni Societas Iesu, quam ingenio suo et voluntatis propensioni maxime consentaneam iudicavit, sed ob vires corporis infirmas sensit e re fore, si saecularem statum ecclesiasticum eligeret, et Dei gloriam et proximorum salutem verbo, scriptis et vitae exemplo promoveret. Anno 1621 6ta Martii a Reverendissimo Domino Ottone, Episcopo Cyrenensi et Suffraganeo Coloniensi presbyteri ordine insignitus, 21ma Martii primum sacrum in sacello S. Ursulae, vulgo Camera aurea, celebravit; exinde quotidie, nisi morbo aut alia gravi causa praepediretur, rem divinam faciebat, praemissis semper quinis Psalmis consuetis, et aliis piis precibus, e Thoma de Kempis et annis postremis e Paradiso suo depromptis.

Cum decennium fere compleverat intra Mon-

tani gymnasii septa, in Serenissimi et Reverendissimi Principis Lothoringae, Francisci, Episcopi Virdunensis, et Decani Metropolitani familiam adscitus est; sed in aula diu morari non potuit, quem Deus ad curam animarum vocaverat. Nam mortuo anno 1623 12. Febr. R. D. Petro Spichero, Pastore ecclesiae B. M. V. in Pasculo, a Srmo. Principe, qui eius doctrinam et morum maturitatem per annum exploratam habuit, vicesimum quintum aetatis annum agens, donatus est hoc beneficio parochiali, cui adnexa erat Vicaria in ecclesia Metropolitana Coloniensi et cura animarum totius Capituli Metropolitani, familiarum item Canonicorum, et eorum quotquot beneficiis templi fruebantur, praeter alias civium domus circumiectas. *) 22. Martii ea diligentia munus obire coepit, ut, cum omnium superaret expectationem, hanc ex ore principis saepe vocem expresserit, neutiquam se poenitere, Iacobum, aetate iuvenem, tanto muneri praefecisse. Cum iure Coloniensis urbis pleraque beneficia curata gradum in Theologia, ceu publicum eruditionis testimonium, requirerent, anno 1626 4. Nov. Licentiae gradum in Theologia assecutus est, fastidiens Doctoratus lauream, utpote functionibus suis haud necessariam. Colligendis et perlegendis Ss. Patrum libris, et iis scriptoribus, quibus omnes muneris sui partes clarius perspiceret, et expleret studiosius, maiorem ab hoc tempore dedit operam. Ut autem facilius gregem Domini, sibi creditam, pasceret oratione et verbo, secutus est exemplum Pastoris pastorum; *coepit prius facere, quam docere.* Neoparochus altum vitae sanctioris aedificium moliturus, S. Augustino suadente, profundum

*) Iacet ecclesia B. M. V. in pasculo in templi Metropolitani Coloniensis cornu sinistro versus occidentem, ostio solum a basilica seiuncta.

iecit humilitatis fundamentum, et primo sibi ipse bellum denuntiavit domesticum et assiduum, solitus de se submisse sentire et loqui, iactantiam in verbis, et in rebus bene gestis ostentationem fugere, vanae amicorum laudi et plebis applausui obdurare aures. Uno parochiali beneficio pertenui contentus, ut cupiditatem, malorum radicem, qua agitati nonnulli opima sacerdotia, principum gratiam, honores et dignitates ambiunt, prorsus succideret, et omnem obtinendi spem sibi praescinderet electus in sortem Domini, more Patrum professorum Societatis Iesu speciali se Deo obligavit voto, neque verbo ullo, neque scripto aut obsequio, per se vel per alios, ad gradum et dignitatem altiorem et pinguiorem adspirandi. Corpus suum imbecillum, et ob defessos studiorum labores fractum, ciliciis, quae duas tresve hebdomades gestabat, ne nocturno quidem tempore depositis, et verberibus et ieiuniis domabat ita, ut, qui a confessionibus erat, vivendi rationem et affligendi modum praescribere et definire cogeretur. Animum excitabat et pascebat persaepe sacris meditationibus, et asceticis S. Ignatii commentationibus, e quibus fructum semper aliquem et pia colligebat proposita, diurna munia quam perfectissime obeundi.

Mulierum familiaritatem caute declinabat; ne mulierem in domum suam admittere impelleretur, multis annis coctos et paratos e domo vicina cibos accipere solitus est; ac licet postremis annis sororem domum receperit, nunquam tamen vel ipsam vel aliam foeminam intra limen cubiculi pedem inferre passus est, praefixa ostio epigraphe: *mulierum pedes foras sunto.* Solus extremus morbus extorsit sorori licentiam ingrediendi, ut eius opera necessariis in rebus uteretur; qua tam vigili custodia iam

inde ab ineunte aetate virginitatem servavit integram et inviolatam. Nec minus mentis puritatem, quam corporis integritatem sectatus est, sollicitus non tantum ut graviora, sed ne leviora quidem sciens prudens admitteret peccata; multum ei ad naevos etiam leviores cavendos et vespertinum conscientiae examen contulit et fervidae per diem ad Christum aspirationes.

Sobrietatem vehementer amavit, obviis et paucis contentus cibis; prandium vel coenam, quoties sumebat, lectione sacra condiebat; convivia, cum honeste poterat, vitabat, si vero subterfugere non liceret, tantum ad vesperarum usque tempus accumbebat, facetus, iucundus simulque pius inter epulas, utilitatis semper spiritualis captandae memor. Frugalem amicorum vel religiosorum mensam utilitatis et honestae recreationis gratia non invitus adibat, ubi suus stabat temperantiae locus, et animus docto pioque colloquio magis quam epulis pascebatur. Accidit frequenter, ut gravibus morbis pastor affligeretur. Solenne tunc illi erat cum a monialibus, amicis etiam vel paroecis cibi, exquisitis condimentis apparati, mitterentur, eos, plerumque ad aegrum quendam, qui novem annis affixus lecto decumbebat, vel ad hospitalia destinare. Uti cibus eius parcissimus et obvius, ita vestis eius congrua statui sine sordibus et ornatu, quod utrumque fugiebat. Suppellex domus munda, vulgaris, non exquisita vel curiosa; picturae per domum, cubicula, ianuas et alia loca distributae, piae, sacrae, de vita et passione Dominica vel Deiparae et Sanctorum. Domesticos vesperi certum in locum colligebat, ibi que Litaniae cum variis precibus publice, ipso praeeunte, dicebantur, et examen conscientiae instituebatur, dominicis et festivis diebus Evan-

gelium, diei congruum, vernaculo sermone legebatur. Denique domus, religiosissimae familiae instar composita, nullus ut strepitus, fabulae, risus vel levitas audiretur. Sub finem anni cuiusvis, Bellarmini Card. exemplum imitatus, secum ipse inibat rationes recepti et expensi. Quidquid erat reliquum, pauperibus, quos in quatuor classes, vulgarium pauperum, studiosorum, religiosorum et exulum distribuerat, liberaliter est impertitus. Separatam domi servavit arcam, quam gazophylacium nuncupavit; in eam singulis annis tertiam proventuum aut pecuniarum partem coniiciebat, et large indigis quibusdam erogabat. Tres enim ex residua annua pecunia portiones facere decreverat, quarum unam necessariis usibus et ornamentis ecclesiae, alteram pauperibus, et tertiam domus et familiae necessitatibus attribuit. In studiosos profusus, indies fere convivas habebat, ita, ut, cum aleret familiam, quidam statis hebdomadae diebus, alii quotidie fere mensae adhiberentur, et nonnunquam eodem die terni quaterni. Scripsit eosdem moriens bonorum suorum et bibliothecae selectissimae ex asse haeredes. Religiosis familiis partim esculentis et poculentis mittendis, partim donandis libris vel pecunia succurrebat, praesertim quos gravi premi cognoverat necessitate. Aliquando sanctimonialium coenobio, in quo vigebat arctissima disciplina, ad extremam fere redacto egestatem, cum aliud non haberet, phialam argenteam clam per sacerdotem misit. Sub finem anno 1631, cum Gustavus, Sueciae rex, captis Herbipoli, Wormatia, Moguntia, rhenanis partibus superioribus dominaretur, ingens exulum, pauperum et religiosarum virginum Coloniam confluxit multitudo, quibus, utpote rebus omnibus, praeter vestes, exutis, quantum rei familiaris an-

gustiae paterentur, liberaliter subvenit. Cum miles hostilis barbara ferocitate patriam Coloniensem, Iuliacensem et Montensem anno 1642 ferro flammaque depopulatus agricolas domibus et fortunis omnibus exturbaret, claustra monialium effringeret, et virgines Deo dicatas eiiceret; cum iterum innumerae familiae Coloniae asylum quaererent: pastor in Pasculo rusticum cum uxore, liberis, iumentis et pecoribus in domum suam recepit, et maiorem anni partem omnes fere de suis rebus gratis sustentavit. Pecunia tandem deficiente, supellectilem suam distrahere coepit pro alendis exulibus, rebus omnibus vitae sustinendae destitutis; sed cum nec ista sufficerent, lectum etiam proprium per Gertrudem Wichem, Ioannis Kinchii senatoris uxorem, matronam in pauperes beneficentissimam, vendidit, et egentibus distribuit, ipse strato deinceps reliqua vita et morbi tempore usus duriore. Monitus ab amicis, cum proventus essent exigui, nec iis tamen annis solverentur, prospiceret familiae suae, provideret, ut aliquid senectuti vel adversae valetudini levandae superesset, respondere consuevit: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuae ibi me collocavit.* Piis legatis pauperibus subvenire noluit, maluit vivus iis succurrere, certus de auxilio praestito miseris, securus meriti praemiique.

Iacobus ita *domui suae bene praeesse sciens,* probavit, se quoque *diligentiam ecclesiae Dei habiturum.* Totus sub initium muneris pastoralis fuit in eo, ut sacramentorum induceret frequentiam, quibus animae puritas et gratia vel acquiritur vel conservatur. In sacro tribunali quotidie fere sacerdotibus in aede summa rem divinam facientibus, pridie vero festorum aut dominicae tam parochianis suis, quam aliis

fidelibus confitentibus operam dabat. Seriam adhibebat curam, ut formaret rudes elementis fidei, pauperes et afflictos solaretur, divites ad opera misericordiae pelliceret, omnium necessitatibus ut pastor bonus consuleret. Nec vitiorum graviorum fugam tantum suis inculcabat, sed quos capaciores nanciscebatur, ad perfectiorem vitae rationem incundam stimulabat. Sic inducta in parochiam paulatim octavo quoque die sacrae communionis frequentatio, pietas fidelium aucta, concursus ad templum maximus, et reverentia cultus divini maior facta. Praedicandi munere non ipse quidem functus est, sed multis ab annis societatis Iesu Patres in aede principe ecclesiae in pasculo contigua, diebus dominicis et festivis mane et post meridiem huic pastoris satisfecerunt officio. Aegerrime ferebat praecipitem et nimia celeritate concitatum cantum. Summam adhibebat diligentiam, ut animum sat diu ante officium divinum praepararet, et contra teporem et evagationem variis adminiculis praemuniret. Inscripserat Breviario: *Si cor non orat, in vanum lingua laborat;* et illud S. Isidori: *Oratio cordis est, non labiorum, neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor adspicit; melius est cum silentio orare corde sine sono vocis, quam solis verbis sine intuitu mentis.* Dici non potest, quo arserit desiderio, cultum augustissimi Sacramenti in se et in aliis promovendi; hunc in finem singulis iovis diebus solenne sacrum de Venerabili decantari curavit, de suo peculio per quatuordecim annos cantoribus, custodi, caeterisque ministris solvens debitum stipendium; hunc in finem singulis iovis diebus sodalitatem ecclesiasticorum venerabilis Sacramenti adibat, iisque Aphorismos eucharisticos dedicavit, quibus omnia collegit,

quae ad divinissimum Sacramentum pie sumendum et ministrandum aliis possent desiderari.

Dilexit decorem domus Dei et locum habitationis eius. Aram principem, pedem eius, cancellos ligneos suis fere curavit sumptibus opere firmo et eleganti. A Dominis Aedilibus, Doctore Henrico Oekhofen, ecclesiae Metrop. Coloniensis syndico, et Ioanne Kinchio, senatore et bibliopola, familiarissimis suis, quibuscum fere omnia consilia sua communicabat, statuas faberrimas Deiparae Virginis et S. Huberti Patroni, ab amicis aliis alia impetravit ornamenta. Ipso pastore altaria palliis pretiosis vestita, sacra suppellex ciborio calicibusque aucta, vestes sacerdotales e tela praestantissima elaboratae; nec minus ornatus, quam munditiae et nitoris fuit studiosus; lineam altaris suppellectilem lautam et elegantem requirebat indicem puritatis animi, quam in hominibus sacra synaxi reficiendis Deus exigit.

Principis pastorum comminationem apud Ezech. 34. attendens: *Quod infirmum fuit, non consolidastis, quod aegrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, et quod abiectum est, non reduxistis, et quod perierat, non quaesistis,* captabat opportunitatem, paschate parochianos singulos adeundi. Alios amicis et blandis verbis, alios acrius perstringit, vitia, cum offendiculis aliorum coniuncta, obiurgat, et si monitio carere fructu videatur, rem Deo, sanctis Regibus aliisque Patronis diligenter commendat; omnes eius verba dicentisque vim et authoritatem verentur, quam prudentia et circumspectio eius auget.

Nihil vero antiquius habebat pastor vigilantissimus, quam ut aegros parochiae cognosceret et inviseret, admoneret officii christiani, consolaretur moestos, et sacramentis ultimis ad

supremam luctam praemuniret. Dies integros et noctes, cum necessitas urgeret vel aeger cuperet, traducebat, ipse debilis, magnis non raro doloribus afflictus. Morientibus assistebat libentius, persuasus, quo periculosior instaret daemonis tentatio, eo maiorem animae urgere necessitatem, eo maiorem praestari charitatem et eo excellentius exhiberi beneficium.

Curae pastorali curam adiecit aliam in monasterio S. Vincentii, ubi virgines velatas maximo cum fructu rexit et excoluit, votorum et regularum ordinis accuratissimam observantiam, rigidam clausurae, ut vocant, custodiam, templi ornatum eximium, cantum ecclesiasticum pium tardumque diligenter curavit, nimiam cum saecularibus et viris familiaritatem cavit, ad pios et utiles manuum labores eas exhortatus.

Tempus, quod divinis officiis et pastoralibus muniis obeundis supererat, studiis impendebat. In libris post Deum et officium thesaurus omnis animique relaxatio, quae tantam animo pariebat cum utilitate summa voluptatem, ut somni cibique vix memor, quandoque morborum etiam acerborum dolores ne sentire quidem videretur. Anno aetatis 26 edidit librum, cui titulus: *Enchiridion officii divini*, et deinceps alios. Magno prae ceteris studio illustravit Bernardi opera, quibus impressis et vulgatis, laudes de Francia, Belgio et Germania ei delatae sunt; viri doctissimi datis litteris operis huius editionem summopere commendarunt, inter quos praesertim Ordinis Cisterciensis Abbates, Ioannes Abbas de Precibus, Parisiis d. d. 1642 28. Oct. et Ioannes Caramuel Lobkowitz, Melrosae Abbas, Lovanii d. d. 8. Cal. April 1643 et P. Ioannes Bollandus d. d. anno 1642 2. Oct. Libellus: *Paradisus animae christianae*, conciliavit scriptori Illustrissimi Domini Fabii Chisii, Episcopi

Neritonensis, et Nuncii apostolici amorem et intimam familiaritatem.

Cum anno 1644 quidam quadragenarii ieiunii tempore morbum insanabilem contraxisset, eique paulatim intestina putrescerent, parochus indeffessus noctes diesque adstitit, sermone sacro fovit et confirmavit, ut a latere suo aeger vix eum divelli pateretur. Ibi tabem hausit, quae mortis causa fuit. Obiit 21. Aprilis eiusdem anni aetatis suae 47. omnibus morientium sacramentis saepius monitus. Ad mortem multis iam annis se praeparaverat. A triennio enim tumbam curaverat, quam lecto impositam quotidie contemplabatur, cui hoc distichon inscripserat:

Cum capulum cernis, cur non mortalia spernis?
Tali namque domo clauditur omnis homo.

Praeter sororem, quae rem eius familiarem curavit, duos habuit fratres, quorum unus, decurso philosophiae studio, societatem Iesu, alter Carthusianum ordinem complexus est.

Statura fuit mediocri, ore liberali, fronte exporrecta, vultu semper ad modestiam et gravitatem composito, genis macilentis, rubore tamen grato respersis. Sermone utebatur suavi et leni, habitus gestusque corporis moderatus et maturus. — Effigies huic libello praefixa, vultum authoris exhibet, qualem in figura aeri incisa quae post mortem, uno anno elapso, in lucem prodiit, licuit videre.

Libri a IACOBO MERLO-HORSTIO editi:

1. Enchiridion officii divini tum ecclesiasticorum tum aliorum divinis officiis pie interesse cupientium usui accommodatum, cum exercitiis et orationibus, in 12. Anno 1623 impressum.
2. Viaticum quotidianum hominis christiani, in 24. Anno 1633.
3. Monita Sapientiae christianae, ad mores et vitae spiritualis officia omnemque pietatis cultum utilia, in 24. Anno 1629.

4. Fasciculus myrrhae et thuris, in 24. Anno 1630 impressus.

5. Paradisus animae christianae, lectissimis omnigenae pietatis deliciis amoenus, in 24. Anno 1630 et 1644 editus.

6. Septem Tubae orbis christiani, ad reformationem ecclesiasticae disciplinae toto orbe, et praesertim in Germania ad praesentium et graviorum malorum remedium necessario institutuendam excitantes. Continent

   a) S. Bernardi de considerat. ad Eugenium, et de vita et moribus praelatorum, clericorum, etc.

   b) S. Gregorii Magni de cura pastorali.

   c) Chrysostomi de sacerdotio.

   d) Prosperi Aquitanici de vita contemplativa et activa sacerdotum, virtutibus, vitiis.

   e) S. Petri Damiani opuscula, de fuga dignitatum, de dignitate sacerdotii, vita canonicorum, inertia etc.

   f) Petri Blesensis Canon. Episcop. et disciplina ecclesiasticorum.

   g) Salviani Massiliensis opera omnia. Haec uti et superiora maiori ex parte novis in capita et paragraphos sectionibus, proemiis et annotationibus illustrata. Appendicis loco accedunt quaestiones variae hoc tempore plurimum utiles et necessariae, in 4. Anno 1635.

7. Aphorismi Eucharistici, id est, piae et s. celebrationis et communionis monita, in 12. Anno 1638.

8. Christianus Theodidactus, seu doctrina pie vivendi et beate moriendi, forma colloquii inter Christum et hominem, verbis fere sacris, expressa in 12. Anno 1643.

9. Viator christianus, recta ac regia in coelum via tendens duce Iesu Christo, de cuius imitatione libros a Thoma de Kempis scriptos, aliaque piissima opuscula nova cura recensuit, et notis illustravit, in 24. Anno 1643.

10. S. Bernardi vitam et opera magno studio collegit, auxit, correxit, annotationibus illustravit, convenientiore ordine distinxit, et in sex Tomos distribuit, indice copioso rerum, locor. comm. et S. Scripturae.

D. D.

SODALIBUS CONGREGATIONIS

ECCLESIASTICO-MARIANAE.

Sanitati corporis humani varia Deus auxilia et remedia providit, ne multis gravibusque morbis a causis, tum internis, tum externis obnoxium, sine praesidiorum ope fatisceret. Hinc tot salutares herbae, tot aromata, et infinitae remediorum species, quibus nos benigna Dei manus instruxit. Verum nec iis excolendis hominum industria defuit. Hinc tot praecepta sanitatis, tot regulae et Aphorismi, quibus legitimus remediorum usus modusque, et curandae valetudinis ratio traditur.

Iam vero, an ad sanitatem corporis mystici quoque remediis, vel etiam regulis et aphorismis opus sit, iudicet is, qui audit querentem: *Omne caput languidum, et omne cor moerens; a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Nempe non pauciores, nec minus periculosos animae quam corporis morbos esse, quis non expertus agnoscit? Ergo



et hic medicos requirimus, qui remedia divinitus concessa (nam neque hic divina providentia defuit) rite applicent, vel applicare doceant. Sed an hic medici desunt? imo verendum forte, ne medicorum turba (quod illi Imperatori contigit) aegros perdat. Medicos hic appello sacerdotes et clericos, qui profitentur curam animarum, et commissas sibi habent apothecas et vasa, in quibus coelestis medicinae remedia recondita sunt, id est, ipsa sacramenta, vasa gratiae, in quibus continetur sanguis Christi, (o praestans et pretiosum animae pharmacum!) dispensanda susceperunt. Et medicos quidem peritos et expertos in cura corporis quaerimus; sed quanto potius in cura animae? tanto magis utique, quo peius est animam quam corpus perire.

Sed utinam medendi scientiam haberent, qui videntur, vel iubentur habere, qui nempe caverent, ne tanta remedia fraudentur suo fructu, nec infamentur passim praesidia, quae multis fuere saluti. Nunc vero, quod dolendum, plures sunt medici, (sacerdotes, clerici) quam qui se esse intelligant; rari prorsus, qui dicant: *non sum medicus;* et quid mirum, si parum fideliter aut feliciter versentur in officio, et morbis animi curandis? *si vulnus et livor et plaga tumens non circumligetur,*

nec curetur medicamine, nec foveatur oleo, sed exasperentur saepe morbi, et mala invalescant, nullum deinceps remedium admissura. Quin ipsi saepe negligunt sese, qui aliis praesunt curandis; vel cum omnia alia satis solicite curent, animas suas non ponunt inter curanda. Quam multis merito dicemus illud: *medice cura teipsum?* hinc iam recto tramite, et lege ordinatae charitatis ad curandos alios processurus.

Sed ab hac vos, D. D. Sodales, nota eximit frequens ille vester in Coetu Mariano consessus; et hoc ipso satis ostenditis, quam vobis curae sint animae vestrae, imo et aliorum, dum et hinc vobis primum salutis remedia capitis, et aliis pii in Deum, eiusque matrem animi praebetis exempla.

Mihi quidem inter vos etsi scientia et virtute minimo, congratulari tamen virtuti et profectui pietatis vestrae, in hoc novi anni auspicio, gestit animus; et ut candidum affectum tenui saltem officio vel indicio monstrarem, Aphorismos hosce offerre placuit, scopus et finis hic mihi fuit, meipsum imprimis, et sacerdotes omnes excitare, ut haec tanta salutis et vitae remedia, quae nobis prae caeteris medicus de coelo veniens commisit, id est, corporis et sanguinis Christi mysteria, et ipsi recipiamus efficacius, et aliis uti-

lius dispensemus. Si affectum et conatum probetis, de profectu et fine pene securus ero. Annuat votis meis, nec desit vestris, coelestis ille, quem dixi medicus, neque enim est in alio aliquo SALUS. Coloniae ipso purificatae virginis Deiparae. Anno Domini MDCXXXVIII.

D. D. V. V.

Servus in Christo

IACOBUS MERLO-HORSTIUS,
Sodal. Ecclesiast. pro temp. indignus Praefectus.

PIO LECTORI.

APHORISMOS hic damus, pie Lector, non Hippocratis, medicorum principis; sed medici longe dignioris, Christi, inquam, vere archiatri, qui solo nutu omnes curat languores, qui corpus et animam uno momento sanare potest, imo qui ipsum corpus et sanguinem suum nobis in remedium adversus morbos et mortem animae dedit.

En Aphorismos coelestis medici: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et liberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Et:* Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum, etc. *O verte praestans et efficax remedium, sed si rite usurpatum fuerit. Nempe et ipsa medicorum remedia suas habent methodos, doses, leges et utendi modos, quibus neglectis ipsa facile in venenum remedia transeunt. Idem spectant hi Aphorismi nostri, ne unde vita peti debuit, mors hauriatur. Vis videre, quam perniciosa hic sit incuria? Ecce Corinthios, hinc damnum expertos.* Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. *Nempe animae mala saepe redundant in corpus; et cum illa deliquit, hoc in poenae consortium trahitur.*

Ergo opportune adest fidelis medicus, et utili Aphorismo praescribit remedium, ne malum serpat ulterius. Probet ergo, *inquit,* seipsum homo, et sic de pane illo edat, *etc. Et:* Si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur. *Nimirum hoc pharmacum de se praestantissimum, mors est malis, vita bonis; adeo paris sumptionis*

dispar est exitus. Itaque huius tam nobilis pharmaci sumendi regulas per Aphorismos, ex probatissimis medicis (rerum spiritualium magistris) extractos, paucis tradere visum est.

Qua in re omnibus quidem servire studui, sed praecipue sacerdotibus. Caeteri tamen sat multum hinc proficient, si discant ex his honorare sacerdotium, et aestimare sacerdotes ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei; vel si ipsum sacrificium pro merito revereri didicerint. Nam sic hauddubie curabunt et ipsi, ut hoc tam excellens animae remedium cautius et diligentius usurpent. Adde, quod et ipsi suo modo cum sacerdote sacrificium offerunt; ut facile quoque possint et ipsis aptari, quae sacerdotibus conveniunt.

Porro uberius et exactius hoc argumentum tractari poterat, sed non permisit temporis angustia. Una cum novi anni auspicio et conceptum et simul natum est, hoc quidquid est operis. Si tamen modus tractandi placet, alias (si Deus volet) accuratius resumetur hic labor, et alia praecipua spiritualis vitae munia simili ratione persequemur. Interim vale, mi Lector, et, si faves, ex hoc, quod tibi per hos Aphorismos digessi, pharmaco, vires mihi corporis animique (nam utrisque admodum indigeo) apprecare.

BREVIS ET PIA SACERDOTIS ORATIO

EX THOMA DE KEMPIS.

Adiuvet nos gratia tua, omnipotens Deus, ut, qui officium sacerdotale suscepimus, digne ac devote tibi in omni puritate et conscientia bona famulari

valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitae conversari, ut debemus, concede nobis tamen digne flere mala, quae gessimus, et in spiritu humilitatis, ac bonae voluntatis proposito, tibi ferventius de cetero deservire.

INDEX CAPITUM.

APHORISMI

SEU

CANONES EUCHARISTICI SIVE PIAE COMMUNIONIS ET CELEBRATIONIS MONITA.

CAPUT I.

Dignitas sacerdotii et sacrificii.

1. Nullus efficacior stimulus, aut calcar validius ad incitandum sacerdotis animum, ut parem se dignitati suae gerat, ac sanctissimo muneri suo sancta conversatione respondeat, quam ipsa dignitatis, munerisque notitia.

2. Itaque saepius ac serio gratiam vocationis, status sui excellentiam, et officii, quod gerit, dignitatem *a*. consideret, eamque in dies magis magisque perspectam habere studeat. Felix erit, si seipsum noverit *b*.

a. Sic videmus viros generosos, cum ad novum dignitatis gradum subvecti fuerint, novos induere mores, nempe dignitati, et officio pares, ne contemptui pateant. Tantum valet apud eos cura nominis: Quid apud sacerdotes non valebit cura numinis, imo salutis?

b. Nimis indigna et perniciosa est illa filiorum Heli, et qui eos sectantur, ignorantia; *nescire dominum, et officium sacerdotum.* c Hinc ille despectus dignitatis sacerdotalis, et abiectio tam sancti ordinis, quia eum nec ipsi, qui gerunt, recte aestimare norunt. Sed audi ipsum Deum

iustum iudicem. *Quicunque glorificabit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 1. Reg. 2. v. 30. Et apud Malach. 2. *Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles in omnibus populis, sicut non servastis vias meas.*

c. Agimus hic non de scientia speculativa, sed practica. Apud christianos, praecipue vero sacerdotes, non *scire*, sed *facere* laudem habet, nec hoc quidem, nisi verbis suffragentur adverbia. Neque enim sat est, facere quae officii sunt sacerdotalis, nisi eadem bene, religiose et perfecte facias. Vide Maximil. Sand. *in Paedia hom. Christ.*

Inprimis ergo illustria quaedam Ss. PP. dicta proferemus in medium, quae si attentius considerare voluerit, quisquis sacerdotio fungitur, haud dubie obstupescet immensam Dei bonitatem, et, suiipsius extremam vilitatem agnoscens, cogetur attonitus clamare, quid est homo, quod sic magnificas eum! O felices nimium, sua si bona norint, sacerdotes!

3. Sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, sed in rerum coelestium classem ordinemque referendum est. *Chrysost.*

4. Etenim iis, qui terram incolunt, atque in ea versantur, commissum est, ut ea, quae in coelis sunt, dispensent; iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus Opt. Max. nec Angelis, nec Archangelis datam esse voluit etc. *quae videnda sunt apud* Chrysost. *lib.* 3. *de sacerd. c.* 4.

5. Si quis consideret, quantum id sit mysterium ..... is probe intelliget, quanto honore, quantaque dignitate sacerdotes Spiritus sancti gratia dignata fuerit. *Ibid.*

Nam dum conspicis, ait idem, *Dominum immolatum, et illic constitutum sacerdotem, sacrificio incumbentem, ac preces fundentem; tum vero turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi, ac rubefieri, etiamne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes? an non potius e vestigio in coelos transferris? An non carnis cogitationem omnem abiiciens, nudo animo, mente pura circumspicis, quae in caelo sunt? O miraculum! O Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipsum tradit volentibus ipsum excipere ac complecti etc.* S. Chrysost. l. c.

Sed ne blandire tibi de dignitate tua, mi sacerdos, onus suum habet hic honos, et grande nimis. O quam vereri debemus, ne, qui plus caeteris in hoc mundo accepisse cernimur, gravius inde ab authore mundi iudicemur! certe cum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum, et cui multum datum est, multum quaeretur ab eo.

6. Idcirco necesse est, sacerdotem sic esse purum, acsi in caelis ipsis collocatus inter coelestes illas virtutes medius staret; terribilia namque atque horrifica sunt, quae administrat. Ita Chrysost. *lib.* 3. *de sacerd. c.* 3. Vide septem Tubas discipl. eccles. *pag.* 301 *et seqq.*

Audiamus ergo, ait idem, *et sacerdotes et subditi, quali nos esca dignatus sit; audiamus et horreamus. Sanctis carnibus suis nos dedit impleri, semetipsum apposuit immolatum; quaenam igitur erit nobis excusatio*, cum, *talibus pasti, talia peccemus, cum lupi fiamus, agnum comedentes?*

Quo igitur crystallo *non oportet esse puriorem animum, tali fruentem sacrificio? quo solari*

radio non splendidiorem manum, quae carnem hanc dividit, os, quod igne spirituali repletur, linguam, quae tremendo nimis sanguine rubescit?

Cogita, quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quod Angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis pastor oves proprio pascit cruore? etc. Chrysost. homil. 60 ad pop. *Eadem habet* hom. 83 in Matth. *Vide duas elegantiss. homil. Chrysost.* 60 et 61. ad pop. de sumendis sacris mysteriis. *Item* hom. 3. in Ep. ad Eph. et 17. in Ep. ad Hebr.

7. O veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero virginis, filius Dei incarnatur. Uno eodemque momento idem Deus, qui praesidet in coelis, in manibus sacerdotis est in sacramento altaris. *S. August.*

8. Quod datum non est angelis, concessum est homini. Sacerdos enim ineffabile hoc conficit mysterium, et angeli conficienti, quasi famuli, assistunt. *Idem.*

Quid mirum ergo, si (ut subiungit idem) *super hoc tam insigni privilegio stupet coelum, miratur terra, veretur homo, horret infernus, contremiscit diabolus, et veneratur quam plurimum angelica celsitudo. Ita August.* alleg. apud *Molin*. de inst. sacerd. tract. 1. c. 5.

9. O quam magnum et honorabile est officium sacerdotum, quibus datum est, Dominum maiestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere,

ore proprio sumere, et caeteris ministrare. *Thom. Kemp. l. 4. c. 11.*

10. Grande mysterium, et magna dignitas sacerdotum, quibus datum est, quod angelis non est concessum. Soli namque sacerdotes, in ecclesia rite ordinati, potestatem habent consecrandi corpus Christi. *Thom. Kemp. lib. 4. c. 5.*

S. Franciscum dicere solitum aiunt, si quem Angelorum aut Beatorum haberet obvium, et simul sacerdotem, se prius osculaturum sacerdotis dexteram, deinde coelitem illum veneraturum, quod maior reverentia deberetur ei, cuius manus sacrum Christi corpus ministraret. Ita *Ribad. in vita.*

Attende igitur (ut merito subiungit idem Thom.) *et vide, quale ministerium tibi traditum est per impositionem manus Episcopi. Ecce sacerdos factus es, et ad celebrandum consecratus; vide nunc, ut fideliter et devote in suo tempore sacrificium Deo offeras, et teipsum irreprehensibilem exhibeas. Non alleviasti onus tuum, sed arctiori iam alligatus es vinculo disciplinae, et ad maiorem teneris perfectionem sanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, et aliis bonae vitae exemplum praebere. Eius conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum Angelis in coelo, aut cum perfectis viris in terra.* Thom. Kemp. l. 4. c. 5.

11. Magna prorsus, et admiranda est sacerdotum dignitas, maxima illis est collata potestas; sua namque prolatione, et ad eorum pene libitum corpus Christi de panis transsubstantiatur materia, descendit de coelo in carne verbum, et al-

taris verissime reperitur in mensa. *L. Justin.*

12. Hoc illis praerogatum est gratiae, quod nunquam datum est Angelis; assistunt Deo, illum contrectant manibus, tribuunt populis, in seque suscipiunt. *Idem.*

13. Verum, quoniam Angelorum sive adstantium, sive ministrantium, vice funguntur, potius angelicam quam humanam debent conversationem habere. *B. Laur. Justin.*

Accedat igitur, ut monet idem, *sacerdos ad altaris tribunal ut Christus, adsistat ut Angelus, ministret ut sanctus, populorum offerat vota ut Pontifex, interpellet pro pace ut mediator, pro se autem exoret ut homo. Huic expedit, ut divinae laudis sit amator, religiosus in se, humilis corde, et erga proximorum errata compassione compunctus. Ita Laurent. Justin.* Serm. de Euchar.

Multa in hanc rem ex Patribus proferri possent, sed vetat instituti ratio. Alias forte id fiet uberius, si Deus dederit. Interim tu alios consule. Multus est Chrysost. in asserenda sacerdotii dignitate, tum alibi, tum maxime in libris 6. de sacerdotio, quos proinde inter septem tubas discipl. eccl. retulimus. Vide inter easdem *Petri Blesensis* eruditam epistolam, cur sacerdotium detrectaverit, ubi illius muneris dignitatem et difficultatem eleganter exponit. Vide etiam, si lubet, Lud. de Pont. *de Christ. Perfect. tom.* 4. *cap.* 4. Gisbert. Schevichavium *de eccles. vita et moribus lib.* 2. *cap.* 20. Metezellum Presb. Congreg. Orat. *de săcerdotio. lib.* 1. *c.* 1. sed praecipue S. Amb. *lib. de dign. sacerd.*

CAPUT II.

Praeparatio missae seu communioni praemittenda.

1. Immensa huius sacramenti dignitas, et infinita Domini, quem hic vere tractamus et recipimus, majestas omnino requirit, ut non nisi singulari cura ac praeparatione *a.* res tam sublimis peragatur. *Opus enim grande est, neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo. Paral.* 29. 1.

a. Nam hoc ratio dictat, etiam in ipsis quotidianis negotiis. Rebus nimirum arduis, magnis et excellentibus convenienter tractandis peculiaris debetur cura, et solicitudo, studiumque longe diversum ab eo, quod impenditur rebus vilioribus et vulgaribus. Iam vero, quid excellentius, aut dignius in terris homo moliri potest, quam ipsum coeli terraeque Dominum ore manibusque tractare?

Palatium Regis Assueri (*Esth.* 4.) nemo humili veste indutus ingredi debebat, ne vilis habitus videretur contemptus majestatis. Imo in Regis conspectum non admittebantur foeminae, nisi prius per annum integrum diligenter excultae. *Vide Esth.* 2.

Pueri Hebraei, Regi Babylonio sistendi, sub cura Praefecti certo temporis spatio eruditi, excoli et cibis lectissimis enutriri debebant, ut habiles, eruditi et decori facie in Palatio coram Rege starent. *Dan.* 1.

Haec humanis fiebant oculis, quid par erit fieri divinis? Nos, sistendi Deo, minoris eius majestatem faciemus? Vide Chrysost. *hom.* 3. *in*

Epist. ad Eph. et hom. 6. *ad pop. Ant. ubi etiam exemplum de Hebraeis pueris adducit.*

Mirum dictu, quot olim ritibus, quibus ceremoniis expiari et praeparari debuerint sacerdotes levitici, antequam ad typica illa sacrificia, huius nostri umbras tantum et figuras, accederent.

Mirum quoque, quam severe vel minimam in his incuriam, errorem, vel negligentiam Deus castigaverit. Lege Levit. Numeros etc. et mirabor vehementer, si non senseris hinc admoveri tibi calcar et stimulum, ut maiori deinceps cura, religione, et reverentia tractes sacra isthaec mysteria, hoc identidem tecum reputans, si tanta religio, et observantia talis in umbra, quanta erit in veritate?

b. Ita David. Nam postquam immensam auri, argenti, gemmarum, marmorum, lignorumque vim in fabricam templi contulisset; omnis ille rerum apparatus vilis et exiguus religiosi Regis animo visus est: Et is tamen solum parabatur templo, in quo nonnisi Arca cum Manna asservanda, aliaque in nostri Sacramenti figuram duntaxat exercenda erant. Quomodo ergo paranda erit domus illa, quae non Arcam, sed ipsum Arcae Dominum exceptura est? Vide Rodriq. *p.* 2. *tract.* 8. *c.* 3.

2. Haec est causa (quod tremens dico) quare multi quotidie celebramus, et post multos sacerdotii annos modica ex hoc incruento sacrificio, et mirifico sacramento dona coelestia recipimus, quia parum parati vita bona et consideratione sancta, ad ipsum manibus offerendum, et ore sumendum accedimus. Ita P. Iacobus Alva. de Paz *de vita Relig. inst. lib.* 1. *cap.* 8. *poster. edit.*

Expendit deinde in rem praesentem idem Author eleganter et pie verba illa Aggaei: 1. *Seminastis multum et intulistis parum; comedistis et non estis satiati,* etc. Nimirum in ipsa cibi copia manemus famelici, in potus affluentia sitibundi, in mediis opibus inopes; quia ad divina mysteria accedimus imparati. Vide ipsum, si libet.

Ex Agno Paschali crudum quid olim comedi vetabatur. *Exod.* 12. Typicum hoc erat, (omnia enim illis in figura contingebant.) Nobis vero, rem ipsam et veritatem possidentibus, commendat, ne crudum sumamus agnum, in hoc sacramento nobis exhibitum. Ne praepostere et praecipitanter involemus in hunc cibum, omni quidem saporis suavitate plenum, sed insipidum, si crudus sumatur. Coqui ille primum debet, et rite praeparari. Sed quo igne? Illo nimirum, qui in meditatione exardescit. Expende igitur, quis sit ille cibus, quibus detur, quo fine, et quomodo sumendus, ut in nutrimentum animae convertatur.

13. Officium ergo boni sacerdotis debet esse: ipsi sacro missae officio praemittere aliquam meditationem circa divina mysteria, variisque considerationibus sese exercere, quae excitent varios cordis affectus, amoris, reverentiae, timoris, humilitatis, fiduciae, et similes; ac denique concludere petitionibus et colloquiis cum Deo Domino nostro, ut impetret quod optat, possitque digne ad sacrum altare accedere. Ita Lud. de Ponte, *Tom.* 4. *de Perf. tract.* 2. c. 7.

Huius rei praxin posuit idem pius Auth. *Tom.*

1. *de perf.* *tr.* 4. *cap.* 4. et *Tom.* 4. *tr.* 2. *c.* 7 et 8.

Exercitium corporis, cibi sumptioni praemissum, valde commendant medici, ut valetudini utile. Hinc enim acuitur calor naturalis, qui alias fere torpet et languet, excitatur orexis, praeparatur corpus ad salubrem et utilem comestionem, ventriculus cibum avidius excipit, arctius complectitur, felicius concoquit et distribuit.

Hinc denique proba nutritio, et bonus totius corporis habitus consequitur. Idem usu venit in hoc coelesti animae cibo. Haec si primum diligenter congruis excercitiis praeparetur, utilius et avidius illum sumet. Exercitia erunt piae et attentae meditationes, praesertim de Passione Domini, de immenso Dei in nos amore, beneficiis, gratia vocationis, etc. exercitia Fidei, Spei, Charitatis, Humilitatis, Amoris, Gratitudinis, etc.

4. Ex modo accedendi ad sacram communionem et missam pendet omnis eius fructus et utilitas. Qualis enim nostra erit dispositio, sive praeparatio, talis erit et gratia, quam recipiemus. Ita Rodriq. *p.* 2. *tract.* 8. *c.* 3. Molin *Inst. sacerd.* *tract.* 4. *c.* 1. §. 2. Drexel. *in Rosis. B. V.* *p.* 2. *c.* 7.

Nam, iuxta philosophos, actus activorum sunt in patiente disposito. Unde cum caussae supernaturales, (qualia sunt sacramenta nostra) caussarum naturalium modum imitentur, fit, ut pro varia subiecti dispositione varios effectus producant. Ita ut unum idemque sacramentum mors sit malis, vita bonis, sicut idem ignis et ceram mollit, et lutum indurat, aridum lignum

facillime corripit, humidum vero difficulter accendit.

Itaque sicut is e fonte publico plus aufert aquae, qui vas adfert capacius, ita pro fidei, devotionis, et praeparationis modulo homines plus minusve utilitatis ex hoc sacramento (fonte, imo oceano gratiarum) hauriunt. Dilatemus ergo os seu vas cordis nostri, et Deus implebit illud, et torrente voluptatis hic absconditae potabit nos.

5. Modus praeparandi nimis imperfectus et omnis internae consolationis expers est, non nisi vulgares quasdam seu consuetas precandi formulas*, conceptis verbis expressas, ante vel post missam seu communionem usurpare. Ita Lindan. Episc. Rur. *in spec. orat. sacerd.* Molina Carth. *de inst. sac. tr.* 6. *c.* 4. §. 2. Brunsem. *in praxi meth.*

*His tamen multi acquiescere videntur, rati, tunc se praeclare praeparatos, si quae vocant praeparamenta recitaverint. Non reprehendimus, maxime, si cum gustu et animi sensu dicantur. Modum sic recitandi quaslibet orationes vocales suggerit S. P. Ignatius *in libell. Excercit.* Vide apud Christ. Mayer *in indust.* 1. *par. c.* 11. Vide eundem *c.* 14. §. 3. Lud. Ponte *Tom.* 4. *de perfect. tr.* 2. *cap.* 6. et *tr.* 3. *cap.* 11. §. 1.

Alias, ut monet P. Molina *l. cit.* habent eiusmodi orationes, quantumvis elegantes, hoc incommodi, ut per dies aliquot frequentatae gustum perdant, et degenerent in fastidium. Cui ut ipse consulat, suggerit meditationes per singulos hebdomadae dies, ante et post missam utiles.

6. Iustum est, ut instante hora celebrationis conetur sacerdos exuere cogitationes omnes a futura actione alienas, et omnes de terrenis rebus curas ad fores seu valvas templi deponere, ut sola anima et intellectu comitante ad altare procedat. Ita Molina *inst. sacerd. tract.* 6. *c.* 3.

Moyses, in monte cum Deo (seu Angelo Dei vices gerente) loquuturus, iussus est solus ascendere, nec homo alius, nec pecus montem debuit contingere, quin et montem densa et obscura nubes obtexit. Visa quoque fulgura, audita tonitrua etc., ut Moyses ab omnium oculis absconditus, uni Deo intenderet, et populus horrore concussus, divina mysteria venerari disceret. *Exod.* 19.

In Levitico sacerdos oblaturus incensum solus sanctuarium ingredi iubetur; ne ulla esset distractionis occasio. *Levit.* 16.

Abraham Dei iussu filium sacrificaturus, alium noluit praesentem esse; et ad montis pedem servis suis praecepit: *Exspectate hic cum asino, ego et puer etc.* Gen. 22.

At quanto aequius sacerdotes N. T., ab omnibus aliis abstractos, animum collectum, unique Deo devotum, tantis mysterii sistere?

Nec enim cum Abraham accedimus oblaturi hominem aut pecus, sed filium Dei naturalem, verum Deum ac hominem. Nec loquimur cum Angelo instar Moysis, sed cum ipso Deo; quin et eundem tangimus manibus, et in corpus animumque nostrum recipimus. Denique non adolemus in sanctuario fumum incensi, sed verum Christi corpus et sanguinem offerimus, qua oblatione nulla fuit unquam dignior Deo, nec futura est usque ad consummationem seculi.

Sed audiamus mellifluum Bern. nobis exemplo praeeuntem.

Intentiones, ait, *cogitationes, voluntates, affectiones, et omnia interiora mea, venite ascendamus ad montem, ubi Dominus videt, et videtur; curae, solicitudines, anxietates, poenae, servitutes, exspectate me hic cum asino, corpore isto; donec ego cum puero, ratione scilicet et intelligentia, usque illuc properantes, postquam adoraverimus, revertamur ad vos. Revertemur enim, et heu, quam cito revertemur!* Lib. de amore Dei.

7. Fac quod in te est, et diligenter facito, non ex consuetudine, non ex necessitate, sed cum timore et reverentia et affectu accipe corpus dilecti Domini Dei tui, dignantis ad te venire. Thom. Kemp. *lib.* 4. *c.* 12.

8. Quoties hoc mysterium recolis, et Christi corpus accipis, toties tuae redemptionis opus agis, et omnium meritorum Christi particeps efficeris. Thom. Kemp. *lib.* 4. *c.* 2.

9. Ideo nova semper mentis renovatione ad hoc disponere te debes, et magnum salutis mysterium attenta consideratione pensare. *Ibid.*

Quin, ut idem subiungit:

Ita magnum, novum, et iucundum tibi videri debet, cum celebras, aut missam audis aut communicas, *ac si eodem die Christus, primum in uterum virginis descendens, homo esset factus, aut in Cruce pro salute hominum pateretur et moreretur.* c. 2.

10. Nemo devotionem, quam cupit, in altari inveniet, si non eam ante per sedulam praeparationem quaesierit. *a.*

Ita Ioan. Trithem. Bened. Abbas Spanheim. cum inquit: *Raro devotio in altari conceditur, si mens ad fervorem non antea praeparetur,* lib. de tripl. Regio. Claustr. *Opera eius spirit. extant uno tomo edita per Ioan. Busaeum. S. I.*

a. Sic in naturalibus forma in materiam, vel subiectum introducenda praevias aliquas dispositiones praerequirit.

11. Male devotioni suae et attentioni sub sacrificio consultum reperiet, qui immediate a studiis, negotiis, colloquiis et curis externis ad missam sese contulerit; quantumvis iam ante praeparationem praemiserit. Ita *Confalon.* cuius mox verba dabo.

Facillime turbatur delicatum illud mentis sabbatum et quies illa, qua tam sublimis actio fieri amat. Si in omni loco, ut cum Thoma de Kempis loquar, *et in omni actione et occupatione externa tam esses intimus, liber, et tuiipsius potens, ut omnia essent sub te, at tu non sub eis; ut esses Dominus actionum tuarum, et rector, non servus, nec emptitius; ut transitoria sinistro oculo intuereris, et dextro coelestia, etc.: tunc inquam, non admodum videretur incongruum, ab externis negotiis ad sacrificium transire.* Lib. 3. de Imit. cap. 38.

Sed paucorum illa felicitas, et tam cauta sui custodia, ut externa tractent, sine aliqua distractione mentis. Ita, quamvis matutino tempore praeparatio facta sit, melius tamen tibi consules, si iam iam accessurus ad altare, paucis

denuo te recolligas, et animum, adhuc ex praeparatione calentem, ad altare adferas. Scintilla aliqua devotionis, per meditationem, et pia exercitia aegre tandem obtinetur, sed levi momento facillime evanescit, nisi sollicite custodita fuerit. Sicut os fornacis nisi diligenter obstruas, calor mox exspirat. Ex his iam collige, quid de illis sentiendum, qui imparati, et illotis, ut dici solet, manibus, in tam sacra et horrenda mysteria se ingerere audent; qui ex mediis negotiorum turbis, ab ipsis colloquiis, ne dicam fabulis et nugis, ad altare properant, et velut ex coeno in coelum foetentes irrumpunt. Dixeris, nescire eos, quid facturi sint, et nihil ducere levius ac facilius, quam Deo sacrificium immolare, cum nihil maius aut sublimius ab homine mortali in terris agi possit. Unde S. Bonav. sic illud agi iubet, quasi nihil unquam aliud in vita agendum esset. *Opus. de inst. sacerd. ad miss.* Nonne omnia tempus habent? et cur negotiorum maximo tempus subtrahitur? Vide quot in negotia, colloquia, curam corporis, per somnum, cibum, recreationem etc. horae nobis abeant; nec in illis ulli fere gravis est mora. In hac divinissima actione, cui omne tempus, et tota vita parum erat, piget morae. Adeo in rebus solum gravissimis parci sumus temporis, at in ludicris et vanis nimium prodigi.

Quos proinde merito graviter perstringit August. Confalonerius Mediolan. Soc. Iesu in Opus. de celebr. Missae, *vocans gravem illusionem, cum quis ex negotio aut studio se confert in sacristiam, facturus illico sacrum, nulla prorsus, aut brevissima et languente facta praeparatione, cum alioqui commode se potuisset colligere. Mirum est,* ait, *quot muscae, et harpyae, non ad polluendum sacrificium, sed ad inquinandam*

huius hominis mentem, et distrahendam involent et incursent.

Hi sunt, *qui breviter missam expediunt, aut certe ex evagatione gravia persaepe errata admittunt.* Hi sunt, *qui graves non raro sentiunt conscientiae morsus, num satisfecerint ministerio, et ea, quae sunt substantialia in toto mysterio, expleverint.*

Hi sunt, *qui sacrificio peracto, quasi mucrones sentiant, et lancearum cuspides toto corpore, ita orationem et gratiarum actionem abrumpunt, non modo ad studia aut negotia revertentes, verum etiam ad nugas.* Hi sunt, *qui faciunt admirationem populis, vulgoque facile obloquenti, quomodo homines, tremenda conficientes mysteria, pene quotidie, pastique Deo ipso, ita tamen praecipites agantur perturbationibus animi, adeoque moribus sint corrupti.*

Monuit propterea Spiritus sanctus per Salomonem: Prov. 14. Acceptus est regi minister intelligens (*hoc est accuratus, qui suum munus obit diligenter; qui ea, quae accidunt actioni, ac muneri considerat, et explet*) *sequitur:* iracundiam eius inutilis sustinebit. (*Inutilem dixit negligentem, et infidelem.*) *Et adhuc gravius, et enucleatius per Ieremiam:* 48. Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter, (*ut legunt septuaginta interpretes; et eam lectionem fere sequuntur sancti Patres, nam nostra vulgata habet:* maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter) sed idem sensus est.

Iam, ut exponit Carthusianus, art. 68 in moral. *vulgatam sequens lectionem,* ille fraudulenter facit opus Dei, qui Deo, quod ei debetur, non exhibet, qui divinae majestatis honorationi debitum subtrahit, qui in cultu divino fraudem committit; et huic maledictioni subiacent, qui opus Dei faciunt negligenter, irreverenter, sine

timore, sine cura, sine custodia, sine affectu. *Hactenus Carthus. Ita suprad. Author. opus. cit.*

Porro duplex praeparatio assignari solet apud script. asceticos. Una *remota*, altera *propinqua*. Ad *remotam* pertinent ista. 1. *Continuum* studium purae et sanctae vitae. 2. *Sublimis* aestimatio et sensus de hoc altissimo mysterio, per exercitium vivae fidei. Nam quod magni aestimatur, reverentius quoque digniusque tractatur. 3. *Frequens* ad Deum oratio et devota aspiratio pro gratia, tantis mysteriis debite tractandis, necessaria. Vide P. Christ. Meyer. *in indust. p.* 1. *cap.* 14. Iacob. Paz. *de vita relig. lib.* 1. *cap.* 8. *ult. edit.*

Ad *propinquam* praeparationem spectant ista. 1. Seria et accurata discussio conscientiae. 2. *Directio* intentionis, quae utique non in finem aliquem terrenum, sed altiorem, id est, Dei gloriam, ecclesiae utilitatem, proximi bonum, et sui ipsius cum Deo unionem referri debet. 3. *Excitatio* desiderii, et devotionis, ut cum affectu, gustuque spiritus res tam sacra peragatur. 4. *Exercitium* profundissimae humilitatis et reverentiae, ex agnitione propriae indignitatis, et immensae Dei majestatis.

Sed de singulis distinctius agetur in seqq. Vide Authores citatos, et Rodriq. 2. *p. tract.* 8. *c.* 5. August. Confaloner. Mediol. *opus de celeb. missae, cap.* 1 et 2. Vide etiam Ant. Sucquet. *lib.* 3. *viae vitae, cap.* 7. ubi tradit praxin praeparatoriam per 8. Gradus, quibus anima ascendat ad tabernaculum Dei cum hominibus.

12. Post omnem denique praeparationem et diligentiam adhibitam agnosce insufficientiam tuam, nec quidquam te tanta majestate, aut huius sacramenti

dignitate dignum praestitisse puta. Tanto melius semper praeparatus eris, quanto melius et humilius praeparationis tuae defectum, tuamque imbecillitatem et inopiam agnoveris.

Ita Thom. de Kemp. *l.* 4. *c.* 12. Dion. Carthus. *Opusc. piissimo de sacr. alt. art.* 15. Ant. Molina *de inst. sacr. Tr.* 4. *c.* 5.

Scito, ait Thom. de Kemp. *non posse te satisfacere huic praeparationi ex merito tuae actionis, etiam si per integrum annum te praepares, et nihil aliud in mente haberes etc. Vide l. cit.*

Exaggerat rem Dion. Carth. *Si sapienter attendas, o Sacerdos,* ait, *quanta sit excellentia, sanctitas, et dignitas hujus Sacramenti, confestim fateberis, te non posse cor tuum sufficienter ad eius susceptionem disponere, neque pro suscepta communione satis posse regratiari, etiam si mille vixeris annis, et die ac nocte sine intermissione totis viribus te praepares ad celebrandum, et gratias agas pro susceptione ac collatione muneris tanti.*

Quid itaque restat, nisi ut omne quod tibi in his possibile est, facias, et tamen nihil condignum te fecisse recognoscas per respectum ad incomparabilem excellentiam Sacramenti. Ita Dion. l. cit.

Fatere igitur, etiam tunc, cum omnia feceris, te servum inutilem esse, et minus fecisse, quam debueris. Ecce praeeuntem habes Salomonem. Cum templum illud, quo nullum augustius ac splendidius vidit Orbis, tantis impensis, tot operis, tot annis condidisset, iamque absolutum innumeris hostiis et victimis ingenti solemnitate dedicaret: *Ergone,* inquit, *credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram? si*

coelum et coeli coelorum non te capiunt, quanto magis domus ista quam aedificavi? 2. Paral. c. 6. V. Tho. Kemp. *lib.* 4. c. 1. et 12. piissime haec expendentem.

CAPUT III.

Puritas et sanctitas ad dignum huius Sacramenti usum requisita.

1. Homo, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius. *Levit.* 21.

2. Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. *Exod.* 19.

3. Sacerdotes sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen eius, incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt. *Levit.* 21.

Quis non obstupescat haec audiens, seu sacerdos, seu laicus, ita secum ratiocinans: Tam severe sancti esse iubentur, qui non nisi umbram et figuram sanctitatis gerebant; quid nos, quibus datum est ipsam tractare rem et veritatem? imo ipsum Sanctum Sanctorum, a quo omnis sanctificatio nostra? Quae hic proportio, quae comparatio? nempe quae finiti ad infinitum. Et nonne aequum erit, ut pro discrimine dignitatis sit disparitas sanctitatis?

a. Dubitabis ergo forte, qualis sit illa *sanctitas* toties, et tam serio olim imperata. Origenes *in c.* 20. *Levit.* rem definiens, ad Graeci nominis etymologiam recurrit. Nam *Sanctus*,

Graece ἅγιος, (ex α part. privat, et γῆ) dicitur a negatione τῆς γῆς, quasi dicas hominem sine terra, vel expertem terrae; hoc est, qui a rebus terrenis studio et amore seiunctus, coelestia tantum sectatur. Quaemadmodum, *ait Origenes*, quae Deo sanctificata sunt, ut sacra vasa et vestimenta, a profanis usibus secernuntur; ita quos sanctos esse convenit, terrenis curis et negotiis implicari non oportet, ut nempe quae sursum sunt quaerant, non quae super terram; ut peregrinatio eorum sit in terris, sed conversatio sit in coelis.

Sed esto fuerit illa sanctitas nonnisi exterior quaedam et legalis observantia, sive munditia, corpus potius, quam animam spectans; nobis certe typus et figura fuit sanctitatis internae, et inhaerentis ad legitimum SS. Sacramenti hujus usum requisitae. Tibi vero inprimis, o Sacerdos, intimam animi sanctimoniam praecipi ne dubites, qui animo praecipue puro et sancto, id est, terrenae contagionis experte, sacris operari debes; quippe qui ipsum sanctum SS. et Agnum sine macula tractas. Huiusce vero teipsum quotidie commonefacis, dum praeparans te sacrificio dicis: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Psal. 85.

Sed forte periculosum censes, sese sanctum asserere coram Deo, in cuius conspectu neque coeli sunt mundi. Ergo vel hoc saltem sensu illud securus dicito: *Sanctus sum,* qui ab infimis et terrenis segregatus, sublimibus et coelestibus rebus singulariter applicitus. Assumptus nempe, licet egenus, e pulvere terrae, et faece populi in ministerium Dei, ut sedeam cum Principibus, angelicum, imo excellentius sortitus officium, idque tui solius, o Deus, beneplacito et dono gratuito; *Sanctus,* inquam, sum statu et munere Sacerdotii, id enim sanctum est;

ut vero ei digne respondeam, *Sanctus* esse debeo, id est, procul a terrenis desideriis, coelestibus donis, et omnibus virtutibus ornatus.

Ita est, mi Sacerdos, in hoc vocatus es. Tuum est, sanctum esse et sanctitatem officii, vitae sanctitate tueri; illam quidem grata et humili mente coram Deo profiteri potes, hanc vero supplex semper petere debes, ut sanctis moribus tam sanctae vocationi respondeas, et Deo placeas, qui sanctus, sanctos vult habere ministros. Ideoque; merito oras: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum*; tam variis enim modis, tot occasionibus, periculis, et insidiis in hac vita impetitur sanctitatis propositum, ut, nisi Deus custodiat animas nostras, frustra vigilent, qui eas sanctas et illaesas custodire nituntur. Tu nihilominus, duce et comite Dei gratia, omni custodia custodi cor tuum.

4. Eritis mihi sancti, quia sanctus sum, ego Dominus, et separavi vos a caeteris populis, ut essetis mei. *Levit.* 26. *et* 21.

Merito Deus summe *Sanctus*, id est, purus et innocens, tales quoque *Sanctos*, inquam esse iubet, quibus uti amicis et domesticis sancta sua communicet. Ubi enim similes sunt mores, facile coalescit amicitia. Nam similitudo morum conciliatrix est amicitiae. Porro praecipuus huius Sacramenti finis et effectus est *unio cum Deo*. Cum vero Deus sit spiritus, isque purissimus, quo fueris spiritualior et purior, id est, a rebus corporeis abstractior, et alienior, eo propinquior et similior eris Deo, faciliusque fies unus spiritus cum Deo, et divinae consors naturae. Sicuti in elementis symbolis, quae in iisdem qualitatibus conveniunt, facilis est transmutatio. Illud *Sancti estote*, pulcre et pie expendit Iacob. Marchand. *in virga Aaron. tr.* 1.

lect. 5. ubi ex 10. titulis sanctitatem sacerdotibus debitam colligit. Sed iam Patres Concil. Trid. audiamus.

5. Si non licet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte, certe, quo magis sanctitas et divinitas coelestis hujus Sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apost. legamus: Qui manducat et bibit indigne etc. Ita Conc. Trid. *sess.* 13. *c.* 7.

6. Eum, qui pro Civitate tota, quid dico Civitate? imo vero pro universo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium, non viventium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat, qualem quaeso esse oportet? Ita Chrys. l. 6. *de Sacerd. c.* 3.

7. Quandoquidem quasi mundum universum habens sibi concreditum, atque adeo tanquam omnium Pater factus, sic ad Deum ipse accedit deprecans, quidquid ubique bellorum est, extingui, turbas solvi, pacem, et felicem Reipublicae statum restitui, denique maturum malorum omnium unicuique imminentium, qua privatim, qua publice, remedium postulans. *Idem.*

8. Cum autem ille et Spiritum S. invoca-

verit, et sacrificium illud horrore ac reverentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assidue, pertractato, quaero ex te, quo illum in ordine collocabimus? *Idem.*

9. Quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? Considera quales manus talia administrantes esse oporteat, qualem linguam, quae verba illa *Sacra* proferat, *a.* qua denique re *b.* non puriorem sanctioremque esse conveniat animam, quae tantum illum tamque dignum Dominum receperit. Ita Chrys. *l.* 6. *de Sacerd. c.* 3. Vide in Tubis discipl. Eccl. *pag.* 348. Eadem Sacerd. inculcat Thom. Kemp.

a. Quam mundae debent esse manus illae, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum erit cor sacerdotis, ad quem toties ingreditur author puritatis? Th. Kemp. l. 4. c. 11.

Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nullum nisi honestum et utile procedere debet verbum, qui tam saepe Christi accepit Sacramentum etc. ibid.

b. S. Francisco, haesitanti circa susceptionem sacerdotii, apparuit Angelus, in manu phialam ex crystallo lympidissimam gestans, hisque eum verbis alloquens: Francisce, animum sacerdotis decet, instar huius crystalli, purum et splendidum esse. Qua quidem visione deterritus, sacerdotio abstinuit, diaconatu solo contentus. *S. Bonav. in vita.*

Vide plura exempla sacerdotio prae reverentia abstinentium, apud Blesensem. *In* Tubis *Disc. Eccl. Tub.* 6. *pag.* 535. ubi ait: *Voce hu-*

mana explicari non potest, cum quanta devotione confici, cum quanta cautela dispensari, cum quanta reverentia suscipi debet corpus Christi. Conficere vereor, quod affecto suscipere (quasi dicat, suscipere tutius de manu sacerdotis, quam ex officio sacerdotis conficere). *Nam cum utrobique pura conscientia exigatur, tamen vita perfectior, et conversatio eminentior propter varias illus ordinis circumstantias a sacerdote requiritur. Ita* Blesen. et ipse sacerdotium fugiens.

Sed quid mihi facto opus, dices, cum iam sim initiatus sacerdotio, nec iam, si detrectare velim, liceat; nec detur regressus ad gradum inferiorem?

Unica restat corrigendi erroris, si quis forte inconsulto et praecipiti ingressu commissus est, via. Vel nunc tandem serio vide, qui sis, et ubi sis. Attende tibi, et militans Deo non implica te negotiis saecularibus, age quod agis, ut Deo probes ministerium tuum. Sed Bonaventuram audiamus.

10. Consulo cuilibet sacerdoti, ut prae caeteris hominibus, se omni tempore ab omnibus, quae aliquo modo cor suum habitaculum Regis summi polluere possunt, sive parum, sive multum, tam occasionaliter, quam actualiter, elonget se, quantum potest. *S. Bonav.*

Tum autem, addit, *praecipue, cum ad Missam vadit celebrandam, a cunctis se abstineat quantum potest, et se totum recolligat in seipso, ut nec sensus, nec cogitatio ad aliud diffundatur, suam conscientiam discutiat diligenter, et quod invenerit lavandum, lavet abundantia lacrimarum, vadat ad confessorem suum, etc. Ita Bonav.* Opusc. de instruct. Sacerd.

11. Nimis impossibile est, fratres mei, *(ait Pet. Dam.)* ut is, qui rerum familiarum curis opprimitur; qui simul habitando et colloquendo turbis quotidie popularibus admiscetur, mundo corde sanctis valeat interesse mysteriis. In quibus videlicet terribilibus Sacramentis coelum aperitur, et virtutes Angelicae simul cum hominibus diversantur.

Quanta ergo munditia, ait Idem, *debent èsse clerici, quam nitidi, quam dignique a cunctis negotiorum saeculorum foetoribus alieni? Qui videlicet velut contubernales, et condomestici Angelorum consortio perfruuntur, et Sacramentorum coelestium Deo cooperatores et dispensatores existunt. Ita B. Petrus Dam. Opusc.* de communi vita Canon. *Habes in* 7. Tubis nostris, pag. 483.

Porro quam severe Deus sanctitatem in tractandis sacris mysteriis exigat, palam ostendit severitate justitiae, quam in violatores hujusmodi sanctitatis non semel exercuit.

Thomas a Villanova Archiepiscus Valentinus, vir sanctissimus, postquam nonnulla exempla divinae vindictae severissima ob Arcam minus religiose habitam commemorasset, merito, velut attonitus, in has prorumpit voces.

O quanta gravitas, quanta severitas, quanta majestas, quantus horror, quantus terror, in arca lignea? Tantane tibi, Domine, cura de ligno? non utique, sed propter nos haec omnia facta sunt.

In illis terremur, in illis admonemur, in illis instruimur; illos examinas, ut nos erudias, et in eis discamus, quanti piaculi simul et periculi

sit, indigne tractare aut sumere sacro sanctum Christi corpus in hostia salutari; cuius typum sic Deus magnificavit, sic sublimavit, sic vindicavit.

Vae sacrilegis manibus, vae immundis pectoribus immundorum sacerdotum, a quibus tam insolenter quotidie tangitur et suscipitur. Si talis ultio in umbra, qualis fiet in veritate? Si ignoranter aut impudenter videntes, aut tangentes typicam illam similitudinem, tam acerba morte damnati sunt; quae animadversio fiet in contemptores maiestatis?

Horresco referens, et toto corpore contremisco. Tantum mysterium non in seipso, sed in sua potius umbra debuit commendari, ut sciamus, quod omne supplicium et tormentum minus est flagitio, quo Christus contemnitur in hoc sacrificio.

Iure optimo clamat Apostolus: Horrendum est, incidere in manus Dei viventis. *Audito hoc tonitruo quis non contremiscat? Ad huius tubae sonitum cuius aures non tinniant? Quis de caetero, his cognitis, impurus et immundus audeat accedere? ita vir religiosus, zelo Dei plenus.* Conc. 3. in festo corp. Christi. mihi pag. 247. *Vide Cap. seq. plura huc spectantia.*

CAPUT IV.

Probatio suiipsius ante Missam vel Communionem.

Grave debitum sanctitatis, quod a nobis exigit rei tam sanctae debitus usus, jam ex parte superiori cap. expositum est.

1. Probet ergo seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat,

qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans Corpus Domini. 1. *Cor.* 11.

Probatio haec constat inprimis accurato suiipsius examine, ut non obiter et perfunctorie, sed serio quisque secum dispiciat, qualis ipse sit, et qualis ille cibus, quem sumpturus est; num talis, ut digne ad Domini mensam conviva veniat; num mundus et veste nuptiali ornatus; ne cum indignatione Domini eiiciatur foras, et in tenebras exteriores.

Terribile sane verborum fulmen, *Reum esse Corporis et Sanguinis Domini*, et, *iudicium sibi manducare et bibere.* Sed quam rari, qui id serio et pro dignitate considerent? qui ponderato rei tam gravis et pericolosae discrimine salutarem metum ad cautelam sui concipiant? Raritatis argumentum est accessus multorum ad tremenda mysteria tam facilis, praeceps et temerarius; eorum, *inquam,* qui, si sese iuxta praeceptum Apostoli serio probarent, se prorsus indignos invenirent. Proindeque horrerent, se reos facere laesae maiestatis; et horribile sibi iudicium superni iudicis accersere. Rei corporis et sanguinis Christi erant Iudaei, qui hunc crudeliter effuderunt, illud in crucem egerunt; sed hodie non minus, imo magis illi, qui utrumque indigne sumentes polluunt. Nam isti, si cognovissent, non crucifixissent, hi cognoscunt, et violant. *Vide infr. SS. PP. testimonia.*

Sed audiamus Bonav. miseros istos deplorantem, *Heu*, inquit, *quod sunt hodie sacerdotes miseri, et suae salutis improvidi, qui Corpus Christi in altari velut carnes pecudum manducant, et involuti et contaminati abominationibus, de quibus fas non est dicere, sceleratis manibus et pollutis labiis contingere non verentur et os-*

culari Filium Dei, et Mariae Virg. Unigenitum. S. Bonav. De praep. ad miss. c. 4.

2. A nullo plane Deus omnipotens maioris iniuriae praeiudicium tolerat, imo deterius nemo peccat, quam sacerdos, qui indigne sacrificat. *Petrus Dam.*

Idem. *Alias quocunque modo peccantes quasi Dominum in rebus eius offendimus, indigne vero sacrificantes velut in personam eius manus iniicere non timemus.* Vide caetera apud Pet. Dam. in 7. Tubis allata pag. 475. et seq.

SS. Patres peccatum indigne celebrantium et communicantium passim comparant, imo gravius iudicant peccato Iudae, Christum post acceptam buccellam tradentis, et Iudaeorum Salvatorem crucifigentium. Loca frequentia sunt apud Chrysost. et alios Patres.

Gravius, inquit S. August. *peccant offerentes indigne Christum, regnantem in coelis, quam qui eum crucifixerunt, ambulantem in terris.*

Et iterum. *Magis peccant, qui tradunt Christum peccatoribus membris, quam qui tradidit ipsum crucifixoribus Iudaeis.* In psal. 68. *v. in 7. Tubis nostris,* Tub. 6. p. 533.

Iusta proinde, etiam hoc tempore, Dei adversus tales indignantis querimonia: *Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, offertis super altare meum panem pollutum. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, et munus non suscipiam de manu vestra.* etc. Malach. 1.

Et iterum. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus, plenus sum.* (q. d. nauseo super huiusmodi sacrificiis) *Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi,* etc. Isa. 1. Filii Aaron offerentes ignem alienum;

Oza, Arcam ruentem fulciens; Bethsamitae, eandem curiosius intuiti; omnes scilicet circa figuras et umbras tantum huius nostri sacramenti minus religiosi, o quam gravibus luerunt poenis; quidquid id erat criminis?

Horum nos exempla legimus, audimus, miramur; sed quibus digni supliciis, si ne sic quidem emendamur? Et felix, et sapiens est, qui ex alieno malo corrigit, aut cavet suum.

Mirum, si huiusmodi exempla non incutiant horrorem temerariis sacerdotibus, tam leviter et profane in sacra irruentibus: *An quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala?* Eccles. 8. Sed *ne dicas*, mi sacerdos, *peccavi, et quid mihi accidit triste?*

Forte enim blandiris tibi, quia, licet iam toties more tuo, id est indigne et irreverenter, frequentaveris sacram aram, Missam, cum ita res et occasio tulerit, celebraveris, de singulari religione et praeparatione parum solicitus; adhuc nihilominus vivas incolumis, nec quidquam hactenus patiaris mali. Sed noli errare: Deus non irridetur. *Altissimus enim est patiens redditor et in peccatores respicit ira illius.* Sirach. 5.

An divitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contemnis? An ignoras, quoniam benignitas Dei ad patientiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius. Rom. 2.

Non sinet impune violari sancta sua Deus. Tangit pupillam oculi eius, qui illa contaminat.
Differt saepe, sed tarditatem supplicii gravitare compensaturus. Laneos habet pedes, sed

ferreas manus. Unusquisque consideret, (*sic monet Cypr.*) non quid passus sit, sed quid pati mereatur. Nec evasisse se credat, si eum interim poena distulerit; cum timere plus debeat, quem sibi Dei iudicis censura reservavit.

Si a Domino imperatum est Moysi, ut bestia, quae montem tangeret, obrueretur lapidibus; divinum valebit evitare iudicium, quicunque bestialiter vivens ad spiritualem Dei montem minime formidat accedere? Laur. Iustin. serm. de Eucharist.

Idem. *Vae qui pollutis manibus et maculato corde sacramenta sancta tractare praesumit. Si enim impune non transit, qui Arcam Domini inclinatam praesumsit erigere, quomodo divinam evadet ultionem, quisquis in mortali peccato constitutus temerario ausu mysteria coelestia manducare voluerit?* Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat. *Laur. Iust.* de casto connub. cap. 24.

3. Pro sumentium dispositione, cibus hic dispares etiam operatur effectus; quem enim reperit mundum et iustum, amplius mundat atque sanctificat; quem autem sordescentem invenit et immundum, deteriorem facit; quoniam sancta et immaculata iniquitatibus pollutus prasumsit sumere sacramenta. Laurent. Iust. *de Triumph. Christ. Agone. c. 4.*

Iudam imitatur huiusmodi (ait idem alio loco) *qui percepta panis buccella sceleratior factus, a conspectu veri luminis se absentando fugit ad tenebras, quatenus conceptum perageret facinus. Hinc est, quod indigne sumentes prae caeteris delicta graviora committunt et pertinatiores in manu, atque ad emendationem vitae tardiores sunt, etc.* Serm. de Eucharist. n. 9.

4. Res quidem sancta, sicut iustis in adiutorium, ita iniustis et peccatoribus vertitur in iudicium. Malus namque manducando bonum male facit; non quia malum sit manducare bonum, sed quia malum est bonum non manducare bene.* Laur. Iust. *de Casto Connub. c.* 24.

Solis lumen sanis oculis delectabile est, aegris vero odiosum; corpusque Dominicum innocentibus salutis medicamentum est, scelestis autem animae mors. Idem *l. cit.*

Mundet igitur se compunctionis et lacrymarum lauacro, carnis lumbos castitatis funiculo succingat, devotionis affectu se componat, virtutum se ornet gemmis, sicque Dominicae memor passionis, quisque ad sanctum accedat altare, divina suscepturus mysteria, etc. Ita Laur. Iustin. de Casto Connub. cap. 24. n. 6. * *Eadem fere habet S. August.* in Ps. 142. *Quam multos,* inquit, *Iudas diabolus implet, etc. Bene esse non potest, male accipienti, quod bonum est, etc.*

5. Si Christus nos attenderet, et non infinitam suam bonitatem, iam a nobis abstulisset divina sacramenta *a*; dignos enim nos hac poena efficimus, et indignos ipsis sacramentis, dum ea suscipientes minus digne, et illa et Christum traducimus, et quantum in nobis est, fama et honore spoliamus Chrysost. *hom.* 66. *ad pop. Ant.*

a. A multis iam ablata sunt (nempe a tot Regnis et Provinciis haeresi subiectis), a multis videntur auferenda, nisi alieno malo sapere, et suum sacramentis honorem postliminio reddere didicerint.

Eant nunc et quaerant multi, quid sit, cur ita vastentur Regna et Provinciae, polluantur templa, profanentur altaria, pellantur sacerdotes, violentur sacramenta, et (ut verbis scripturae loquar) cur sacra dentur in conculcationem; nonne haec vitio et culpa malorum sacerdotum et res sacras indigne tractantium, fieri merito dicemus?

Nimirum tolluntur ab ingratis benificia, ab impuris sacrificia, aufertur ab indignis Regnum, et datur genti facienti fructus eius.

Filios Heli in sacrificium Domini impios et iniurios gravis Dei vindicta corripuit. Sed et in totum populum tristis exinde clades incubuit. Quin et Arca in medium adducta, ut praesidio esset, adeo non fuit, ut praeter novam populi stragem et ipsa in manus hostium veniret.

Sic enim (ait Prosper) *Deus Israël irascitur peccantibus sacerdotibus, ut etiam sacratis locis suis, vasisque non parcat.*

Hei mihi (ait idem) *cum magno gemitu, et inexplebili fletu dicam; praecurrentibus peccatis, impieque agentibus nobis, nostris quoque haec mala provenere temporibus. Ita D. Prosper* de Promiss. part. 2. cap. 24.

Auctor sane gravis, et pio zelo plenus (ut eius scripta testantur) non dubitat causam calamitatum Belgii in sacerdotes, erga tremendum sacrificium irreligiosos, referre. Sed verba eius accipe, nam post recensitam cladem Bethsamitarum, sic ait:

Non est, quod nos nunc miremur huius nostri temporis calamitates, persecutiones, exilia, bella intestina, pestilentias, rerum omnium caritatem, aliaque plurima mala, et incommoda, quibus indubie multa centena millia hominum perierunt. Et quam, precor, ob causam?

Nimirum ob hanc inprimis, quod tam negligenter et irreverenter hoc sacrificium, omni reverentia et devotione dignissimum, tam diu in hisce Belgicis Provinciis peractum sit, et SS. illa hostia, per praedictam Arcam repraesentata, tam indigne, non solum oculis, sed et manibus sacerdotum, in hoc sacrificio tractata sit. Ita Ioan. Langhccrucius Praepos. Casleten. in speculo, de caus. mal. lib. 3. c. 19. *Vide eiusdem specul.* de Vita Canonicorum etc. *Dignum sane, quod consulatur ab omnibus Canonicis et Clericis.*

Saeva tempestas iam pridem universam pene Germaniam tristi clade quassavit. Vidimus, heu, et audivimus multorum naufragia; et vix ipsi eluctati sumus. Et quamvis in omnes promiscue istius procellae clades grassata sit: res tamen sacras, ipsa templa, sacraria, altaria, sacramenta, ipsosque sacros homines acerbius afflixit. Nec adhuc effulget pristina et optata serenitas.

Utinam evigilet tandem, qui ventis et mari imperat, et obediunt ei, ut fiat tranquillitas magna.

Nunquid enim dormit, qui custodit Israël? Cur dissimulat pericula nostra adiutor in opportunitatibus? An desunt, qui clament, *salva nos, perimus?* An forte dormitant et ipsi, qui debebant clamare, *parce Domino, parce populo tuo?* Clamant utique multi; sacrificia et vota multiplicant, sed quorum vocem, dissona vita et mores obtundunt, ut non exaudiantur. Pauci, quorum vox aures Dei feriat, ut vecissim cum Moyse audiant, *quid clamas ad me?*

Caeterum de causa et origine malorum nostrorum alii forte aliter iudicent. Ego vereor, per quae peccavimus, per haec nos quoque puniri, et a sanctuario seu domo Dei incipi, ut unde peccatum, inde iudicium sit, ait Hieron. *in c.* 9.

Ezech. Quis fuerit sacrorum neglectus et contemptus, inter ipsos etiam, qui eorum cultum et ministerium profitentur, vidimus. Et quid mirum, si ea hostibus in ludibrium cedere, ac profanari videamus? Cum a vivis templis, id est, cordibus christianorum, praesertim clericorum, honor Dei, et mysteriorum eius reverentia exulet, levem Deus iacturam reputat, templis lapideis et manufactis, quantumvis splendidis et magnificis, cedere. Vide *Ierem.* 7. de vana Iudaeorum fiducia in templo Domini. Item S. August. in *psal.* 77. *v.* 60. S. Hieron. *in cap.* 9. *Ezech.* Chrysost. *hom.* 1. *ad pop.* Prosper. *de Promiss.* 2. *c.* 24. Rupert. *l.* 6. *de vict. verbi. c.* 25. S. Bern. *serm. ad mil. Temp. cap.* 5.

Reviviscat tandum in viris ecclesiasticis zelus domus Dei; cedat concupiscentia carnis, et ambitio saeculi, redeat prisca pietas, Dei timor, et sacrorum reverentia: et redibit optata pax, et fiet tranquillitas magna. Si his neglectis alia tentamus remedia sopiendi fluctus, verendum, ne gravior aliquando tempestas ingruat, et quidquid residuum est, absorbeat.

6. Ne sacerdotes Dei pro benedictione maledictionem super se, ac universum populum inducant, caveant omni cura ac sollicitudine, ne unquam alicuius mortalis peccati sibi conscii, quantumvis sibi contriti videantur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedant.

Ita Octav. Frangip. *Episc. Tricaric. Nunc Apostol. per Germ. infer. Discipl. Eccl. pro Eccl. Colon. Tit. de div. off. n.* 50.

Mutuatus est verba Concil. Trid. Sess. 13.

c. 7. *ubi additur: Quod si sacerdos urgente necessiate absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur. Ita Concil.* Vide Lud. Pont. *tem.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. Ant. Molin. *tract.* 5. *per tot. ubi pulcra de Confess.*

7. Diligenter examina conscientiam tuam; et pro posse tuo, vera contritione et humili confessione, eam munda et clarifica, ita ut nihil grave habeas aut scias, quod te remordeat, et liberum accessum impediat. Thom. de Kemp. *lib.* 4. *c.* 7.

Idem monet Dionysius Carthusianus. *Non sufficit,* ait, *si quis dicat, conscius mihi non sum de peccato mortali: nisi diligentiam debitam fecerit, ad cognoscendum, an sit in tali peccato, perscutando sufficienter pro posse conscientiam suam, an in ea quid lateat culpae mortalis. Ita Dion. Carthus.* de sacram. altar. seu de conven. et debita praepar. ad comm.

8. Sacerdos itaque, ut securius accedat ad altare, prius in altari cordis sui offerat Deo sacrificium spiritus contribulati, *a.* quam sacrificium offerat corporis et sanguinis Domini. Lud. de Pon. *to.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. §. 2.

a. Nam cor contritum et humiliatum Deus non despicit. Quid si una cum illo sacrificium unigeniti filii sui obtuleris, quomodo despiciet? Quin respiciet ad offerentem, et ad munera eius, et odorabitur Dominus odorem suavitatis. At contra victimae impiorum abominabiles coram Deo, et nauseam ei movent. *Isa.* 1. *Prov.* 15. Sanguis filii Dei, si ex corde contrito offeratur, clamabit ad Deum de terra pro nobis veniam, si ex corde impuro, vindictam. Qui hoc sacra-

mentum indigne et sine probatione sui sumunt, eos Apostolus severa comminatione divini iudicii terret. At si nos ipsos iudicaremus, non utique iudicaremur. Modum seu formam huius iudicii deinceps audiamus.

9. Evome ergo et purga faeces peccatorum tuorum spiritu contrito et humiliato, memorans, quanta commisisti cogitatione, verbo et opere; quanta boni omisisti; quae facere debuisti et potuisti, et veniens ad spiritum medicum, dic peccata tua non communi et generali confessione. *a.*

a. *Sic facere quosdam duros corde, pallientes foliis verborum sua enormia peccata, generali confessione, absque verecundia et dolore, taliter proferentes, ut etiam taliter in plateis possent absque rubore confiteri. Haec non est confessio, sed deceptio et derisio.* Ita Bonaventura de Praep. ad Miss. Cap. 12.

10. Verum, si vis sanari, aperi vulnera tua, et de profundo corde enarra clare et aperte, quae egisti, non solum opera, sed et cogitationes perversas, quarum delectio mentem maculat, non solum mortalia, sed etiam venialia graviora, quae conscientiam laedunt et mordent. Ita S. Bonav. l. cit.

Porro de confessione venialum rite instituenda sit sequens aphor.

11. Illa praecipue ad confessionem ex venialibus collige, quae magis tuam conscientiam inquietant, aut pudorem ingenerant. Levissima enim tantum confiteri,

quae sanctus quisque de se dicere potest, et maiora reticere, insignis stultitia est. Ita Iac. Alv. de Paz. *l.* 3. *de vit. relig. c.* 3.

Sed notanda, quae ibidem subiecit. *Si ita facias,* inquit, *non ad confessionem et medelam, sed ad laudem et ad umbram quandam humilitatis confessione uteris. Eveniet etiam aliquando, ut id, quod taces, non sit tam leve, ac tu amore proprio coecus existimas, imo ut pro veniali celes mortale. Si leve est, cur dicere erubescis? si autem grave est, cur tuam conscientiam laedis, et grave peccatum in confessione tacendo novum aliud grave committis? si tandem dubium, cur non animadvertis in dubio isto, ex quo te extricare non potes, ad eius te confessionem obligari? Ita suprad. Author.* l. cit. pag. 335. poster. edit.

11. Non solum mortalia, sed et venialia ante missam et communionem expurganda. Unde qui cum conscientia peccatorum venialium actualium, per confessionem *a.* aut contritionem non deletorum, communicare praesumit, exiguum inde fructum referet. Nam peccata venialia, poenitentiae remedio non abstersa, impediunt, ne anima uberes gratiae in hoc divinissimo sacramento redundantis fructus percipiat. *b.* Ita Thom. a Iesu Carm. Discal. *in meth. discer. prof. spirit. cap.* 6.

Idem docent S. Thom. 3. *p. q.* 30. *art.* 10. *et in* 4. *d.* 9. *q.* 1. *a.* 2. Et *d.* 12. *q.* 2. *art.* 1. S. Bonav. diserte *Tr. de praep. ad Miss. c.* 6. Suarez *t.* 4. *disp.* 11. *sect.* 3. *assert.* 3. vide infra *cap.* 9.

Addit mox Author in aphor. cit. *Et vero, si*

aliqua peccata venialia hoc impediant, maxime illa, qua in habitum versa, altasque in anima radices egerunt. Potissimum quando sunt inordinatae ad creatas res affectiones. Nam donec eiusmodi malignae radices evellantur, vel saltem omnino efficacibus desideriis in seriam illorum, cum Dei auxilio, eradicationem desudare quis proponat, modicum huius admirabilis sacramenti fructum consequetur. Ita ille.

a. Ad delenda peccata, et eorum affectum, ad pellendum languorum, et fervorem animi excitandum iuvat crebra confessio. De mortalibus quidem confitendis praeceptum est; Conc. Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. Nicen. *cap.* 11. *et* 12. Ancyr. *c.* 4. Elibert. *multis canon.* De venialibus vero consilium hominibus, eximiae puritatis et pietatis erga venerabile sacramentum studiosis, quorum plerisque quotidianam confessionem in usu fuisse legimus. De S. Carolo Borrom. vide Carol. a Basil. Petri, *in vita.* et P. Giussian. *Itidem in vita* S. Car. *lib.* 8. *c.* 23. Idem de S. Ignat. testatur Maff. *in vita lib.* 3. *c.* 1.

b. *Licet enim peccata venialia non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem, obnubilatum, indispositum, et ineptum, nisi isti pulveres et stipulae per afflatum spiritus et flammam charitatis ventilentur et consumantur, etc. Ita Bonav.* de praep. c. 6.

Hanc purgationem venialium nobis innuunt tot purificationes et lotiones, olim in V. T. sacerdotibus perscriptae; quae omnia, nisi fuissent signa rerum spiritualium, et figurae purificationis maioris momenti, otiosa et frustranea viderentur. V. *Exod.* 30. *Num.* 8. Idem nos Salvator Christus ipse docet, cum, antequam Apostolos ad corporis et sanguinis sui sumptionem admitteret, eorum pedes ablueret. Sed nonne mundi erant, ipsius Christi testimonio?

(*iam vos mundi estis propter sermonem meum.*) ad quid ergo mundandi? quorsum tam operosa lotio, et cur tam necessaria? *Si non lavero te,* etc. Audi qui *mundus est,* nempe a gravioribus et mortalibus, *non indiget, nisi ut pedes lavet,* nempe affectus, pedes animae, quibus terram non possumus non contingere, hinc saepissime ad alterum pene vestigium sordescunt.

Discipuli antea mundi, (ait Iacob de Paz.) *amplius mundati sunt, et pedibus loti, ut et ipsi, et omnes posteri intelligerent, sacerdotis munus eximiam quandam postulare munditiam, etc.* Lib. 1. de vit Rel. c. 8.

Sed melius ista Bernardus melleo ore nobis edisseret: *et unde scimus, quia ad diluenda peccata, quae non sunt ad mortem, et a quibus plene cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo plane, quod offerenti manus et caput pariter ad abluendum responsum est: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet. Lotus est, qui gravia peccata non habet, cuius* caput, *id est intentio, et* manus, *id est operatio et conversatio, munda est; sed* pedes, *qui sunt animae affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plus, quam oportet, cedat animus vel ad horam. In multis enim offendimus omnes. Veruntamen nemo contemnat aut parvipendat. Impossibile est enim cum eis salvari, impossibile est ea dilui, nisi per Christum Iesum, et a Christo. Nemo, inquam, perniciosa securitate dormitet, declinans in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis, quoniam, (ut audivit Petrus ab ipso) nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo.*

Superiorem doctrinam egregie confirmat S. Gregorius, nam commentans in illud: *repleti*

prius pro panibus se locaverunt, et familici saturati sunt, 1. Reg. II, 5. ita scribit:

Haec verba contra negligentes sacri altari ministros, atque audaces Dominici Corporis susceptores convenienter dici possunt, quia licet sacramentum ore percipiunt, virtute sacramenti non replentur. A virtute ergo illa sacramenti ieiunant, quia repleti fuerant. Salutis quippe fructum non percipiunt in comestione salutaris hostiae, quia ea, quibus se repleverant, flagitia portant in mente. Non saturantur ergo nisi famelici, qui a vitiis perfecte ieiunantes, divina sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis.

Et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi ut a peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, evacuari quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, etsi minima sunt peccata, quae congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internae saturitatis. Hac repletione nos evacuari Paulus insinuans, ait: Probet seipsum homo, etc. *Quid enim est hoc loco probare, nisi evacuata peccatorum nequitia, se probatum ad Dominicam Mensam et purum exhibere?* Vide caetera apud S. Greg. 2. c. 1. in lib. 1. Reg.

13. Assiduum studium extirpandi in se peccata venialia et affectiones inordinatas, proprium est viris sanctis et piis, qui soli sacramenti huius excellentiam recte aestimare norunt, ut omni, qua possibile est, puritate et sanctitate mentis ad sanctissimum sacramentum veniant, et spiritualem eius gustum percipiant.

Ita Dion. Carthus. *libr. de expos. Miss. art.* 3. Ant. Mol. *tr.* 4. *inst. Sac. c.* 8. Arias, *de freq. comm. cap.* 14.

Sed dices, quomodo sanctitas, quam hic requiri diximus, *cap.* 3. cum assidua peccatorum venialium lucta consistere potest? si adhuc peccatores, quomodi sancti? Pulcre declarat hoc *Dion. Carthus.*

Sanctis viris, inquit, *id proprium est, quod venialia peccata tota diligentia student cavere; et quae cavere sigillatim non valent, incessanter quotidie deflent, redarguunt, confitentur, et emendant. Unde merito sancti dici possunt, licet quotidie venialiter cadant. Nam sanctae devotionis sollicitudo, et ignis charitatis divinae in eis celeriter, pleneque consumit, quidquid venialiter delinquunt, sive omittunt. Imo cum eis omnia cooperentur in bonum, non solum imperfectum suum sufficienter deplorant, et corrigunt, sed etiam, occasione ex venialibus culpis accepta, quotidie perfectiores sanctioresque fiunt; quoniam dum tantum proficere nequeunt, quantum desiderant, semetipsos profunde humilant, vehementer despiciunt, solicite ambulant, et quidquid iam ante operati sunt, pro nihilo aestimantes, sincerius coram* Deo, *magisque reverenter conversari laborant.* Ita ille, *l. cit. in aphor.*

Addenda his essent alia eiusdem verba *eod. cap.* consolationis plena, in gratiam eorum, qui circa frequentiam huius sacramenti plus aequo timidiores sunt. Sed video haec prolixius excrescere, quam ferat instituti ratio.

Non possum tamen, quin hic inseram piam contemplationem, quae P. Balth. Alvarez ipso Epiphaniae Domini die a sacro meditanti venit in mentem, et mihi in manum, haec ipsa eodem festo scribenti. Nam dum meditando secum beatos reputaret Magos, et eandem felicitatem sibi optaret; responsum audivit intra se: Illi adorarunt, at idem iam datus est tibi, et tu illum ipsum gestas intra te. q. d. Maior est tua feli-

citas, sacerdotum quoque et omnium piorum, quam istorum Magorum.

Alium praeterea sensum internum dedit illi Dominus, quique magis facit ad praesens propositum, de extirpandis inordinatis affectibus, occasione illorum verborum, *Ecce Magi.* Nempe *mirum esse, quod reges, divites, ac sapientes quaerant Deum; sed cur? quia necesse est cadere idola, si velint ita arcam recipere, ut commodum inde sentiant. Inprimis enim debet cadere amor sui, in nobilibus honor, in divitibus deliciae, in sapientibus arrogantia. Nam haec illi plurimum amant; et ne deserant, statuunt potius Arcam* Dei *a se reiicere, ac dimittere, dicentes cum illis*: Non maneat Arca Dei Israël apud nos, quoniam dura est manus eius super nos. 1. Reg. 37.

In quibus verbis (*teste scriptore vitae*) *aperuit illi Dominus causas, cur multi, praecipue nobiles, divites, ac deliciosi recusent recipere arcam vivam novi testamenti in sanctissimo sacramento repositam, aut eam exiguo cum fructu recipiant; quia scilicet volunt in altari cordis sui idolum Dagon, nempe rem illam, seu creaturam, quam inordinate diligunt, retinere: quae nisi in terram cadat, et mortificationis gladio, caput eius, manus, ac pedes amputentur, ut cesset deinceps ab imperfectionibus et vitiis in cogitando, loquendo, et agendo committi solitis; non efficiet in tali corde divina haec arca stupenda misericordiae suae opera, sed iustitiae, puniendo illos magna ariditate, languore, obscuritate mentis, etc. Lud. de Pont.* in vita Balthas. Alvar. cap. 6.

Haec ideo visum inserere, ut intelligas, quanti referat, ad fructum et gustum huius sacramenti percipiendum, non gravioribus tantum peccatis, sed et levioribus, et affectibus inordinatis exuendis incumbere.

Sed mirantur forte nonnulli, quorsum tam frequens sui examen, tam crebra et scrupulosa conscientiae discussio. Nesciunt forte, aut non inveniunt, quid toties confiteri; quid in se culpare, vel accusare; de quibus conteri; ad versus quae vitia pugnare debeant. Verum, nonne in multis offendimus omnes? nonne iustus quoque septies cadit in die? Et si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Putant plurimi, se divites esse, et nesciunt, quia miseri sunt et miserabiles.

An forte transierunt in affectum cordis, et ideo carnis et spiritus luctam minus sentiunt? Incipiant pie vivere; et videbunt, quot hostibus obsideantur, et quot petantur insidiis. Neque sibi blandiantur de pace, cum foris sint pugnae, intus timores, et cum Potestatibus tenebrarum harum assidua nobis sit colluctatio.

Caeterum hos consulere iubeo Thomam de Kempis *lib.* 4. *c.* 7. exhibentem ipsis Paradigma quotidiani ante communionem vel missam examinis, imo confessionis, ubi longum satis catalogum texit ex defectibus et lapsibus quotidianis, quibus plerique omnes facile indies delinquimus. *

Inspiciant illud prius, et deinde seipsos, facile deprehendent, quid in se reprehendant; videbunt, inquam, quam foecundum in agro cordis nostri sit vitiorum seminarium.

Esto non sit ibi cicuta, aut herbae venenosae (lethalia crimina); invenies tamen illic zizania, lolium, steriles avenas, herbasque noxias, quibus bonum semen et utiles plantae suffocantur, ubertim sucrescere; et, nisi assiduam culturae manum admoveas, identidem evellas, destruas, et plantes, sic invalescere, ut tandem silvescat prorsus, et in spinas, sentes, tribulos,

dumosque degeneret. Sic nempe agrum hominis pigri totum replent urticae. Vide eleganter in similem sensum S. Bern. *serm.* 58. *in Cant.*

* Formam praeterea quotidiani examinis circa venialia et lapsus frequentiores pro sacerdotibus et religiosis, aliisque frequenter, pie pureque communicaturis, habet Iacobus de Paz. *lib.* 3. *de vita rel. c.* 3. §. 1. Idem Ant. Molina, *de Inst. Sac. tr.* 5. *cap.* 4. Et iterum Thom. de Kempis *lib.* 2. *de discipl. Claust. cap.* 10.

Caeterum quantum momenti habeat sollicita fuga peccatorum, etiam levium, quae multi nimis leviter aestimant, ad promovendum huius sacramenti fructum, et totius vitae spiritualis profectum, vide Nigron. *Tract.* 10. *ascet. de cura minim.* copiose et diligenter, ut omnia, pertractantem. Sucquet. *lib.* 2. *c.* 9.

CAPUT V.

Fides, et devotio erga divinissimum sacramentum.

Tanto diligentius et accuratius praestabis omnia ad pium sanctumque huius sacramenti usum requisita, quo fides tanti mysterii magis vivida et animosa fuerit. Quidquid hic peccatur, dixeris fidei defectu fieri. Itaque

1. Fidei exercitium hic inprimis utile est. Nam viva et indubia fides quasi basis est, cui innititur omnis erga hoc mysterium devotio. Non mirum, si haec tepet, cum torpet et friget illa.

V. *Stim. Piet.* ad sacrif. Miss. Iac. Stratii.

S. I. 3. p. c. 7. ubi etiam modum et praxin huius exercitii suggerit.

O quam efficax hic ad devotionem, reverentiam, et omnem pietatem stimulus, credere, summum Deum, ipsum coeli terraequae Regem, Dominum, Redemtorem ac Iudicem nostrum in manus, in os, pectus nostrum reipsa sese dimittere, uti fides docet.

Dices: Quomodo fieri potest, ut, qui se ista credere profitentur, tam languide et irreverenter saepenumero tractent tantum mysterium? Miraris hoc? Et ego idipsum miror. Dicam tamen, quod sentio. Fidem habemus, sed non adhibemus, ubi necesse est; ubi res ac ratio postulat eius usum et exercitium, nos otiosam, et velut inclusam delitescere sinimus. Quid aegro prodest praestans et efficax pharmacum in theca repositum, si non adhibeat, cum eius usum morbus exigit? Quorsum saucio pretiosum unguentum, aut emplastrum, si vulneri non admoveat? Quid prodest militi gladius in vagina conditus, si nunquam exserat in hostem? Quorsum illi servo pigro et nequam talentum, sed ligatum in sudario, aut defossum in terra? Nam quod ad lucrandi fructum attinet, parum refert, an aurum, an plumbum in arca aut sudario recondas.

Sic sane fides huius mysterii (uti et caeterorum) quia otiosa fere delitescit in angulo cordis, et nunquam vel raro exeritur, aut exercetur, nullam virtutis suae vim exerit et ostendit.

Fides, *inquam*, nostra est sicuti granum sinapis, aut piperis, quod dum integrum glutitur, vix sentitur, sed contusum et comminutum acrimonia sua nares et cerebrum tentat ac irritat. Vide *S. Ambr. serm. de grano synap.* Contundamus et nos mysteria fidei nostrae

(inter quae maximum hoc corporis et sanguinis Domini) in mortario cordis nostri, et conteramus dentibus considerationis, tunc praecipue, cum illud ore manibusque tractamus; cum ipsum authorem fidei et consummatorem Christum Iesum nobis intime coniungimus; et mox experiemur, quam vim viva fides habeat.

Verbis fatemur nos ista credere, sed praetat factis. Ostendamus ergo ex operibus fidem nostram; faciemus autem, si currimus tanquam ad Deum ipsum sancte et pure, ad Creatorem religose, ad Salvatorem reverenter, ad Dominum humiliter, ad Patrem amanter, ad Iudicem suppliciter accedere.

Unde S. Bonaventura monet, ut accessurus ad mensam coelestis convivii primo probet et diligenter examinet seipsum, cum qua fide accedat. *de praep. ad Miss. c.* 1. ubi etiam declarat, quid veritas fidei catholicae credere iubeat circa hoc mysterium.

2. Cum ergo accedis, cave, ne dubitando vacilles, et tanquam coecus, manu tentans, innitaris baculo arundineo, scilicet argumentis naturalibus, et rationibus humanis, quaerendo, quomodo ista fieri possunt, sicut quondam Iudaei. *Ioan.* 3,9.

Sed subiice teipsum Deo, et captiva mentem tuam sub iugo fidei, quam tantis testibus roboratam vides. S. Bonav. *de praep. ad Miss. c.* 2.

Quid enim dubitationis de hoc sacramento remanet, quod a Christo tam expresse traditum, ab Apostolis praedicatum, a sanctis Patribus orthodoxis tot centenariis annorum praefiguratum, tantisque cermoniis, tot miraculis, et pro-

digiis, quasi testimoniis palpabilibus, vides confirmatum? S. Bonav. de praep. ad Miss. c. 2.

3. Fides a te requiritur et sincera vita; non altitudo intellectus, neque profunditas mysteriorum Dei. Non fallit te Deus; fallitur, qui sibi ipsi nimium credit. Thom. Kemp. *lib.* 4. *cap.* 18.

Perge itaque, ait idem, *cum simplici et indubitata fide; et cum simplici reverentia ad sacramentum accede; quod intelligere non vales, Deo omnipotenti secure committe. Ibid.*

Dic ergo ex imo cordis affectu cum Petro: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* vel cum Thoma Apostolo: *Dominus meus et Deus meus;* vel cum Thoma Angelico: *Adoro te devote latens Deitas, quae sub his figuris vere latitas, etc. Credo quidquid dixit Dei filius, nil hoc verbo veritatis verius,* etc. Totus Hymnus mire pius, et utilis est ad exercitium fidei. Vide eundem S. Thom. *Opusc.* 58. *cap.* 11. *et* 12. ubi plura motiva credendi, seu modos fulciendi fidem huius mysterii eleganter pertractat. V. et Stratium *l. sup. cit. Aph.* 1.

4. Actualis devotio excitatur attenta meditatione huius sacri mysterii, cuius tanta vis est ad capiendas et illaqueandas amore animas, ut saxea sit illa, vel potius aenea, quae ad tanti ignis praesentiam non liquefiat. Ita Paz *de vita relig. libr.* 1. *cap.* 8. §. 3.

Ibidem piam et uberem materiam huiusmodi meditationum suggerit, per 7. dies hebdom. distributam.

5. Actualis devotio in usu huius sacramenti, semper, quantum possibile est, procuranda *a*. Consistit ea in spirituali fame et vehementi desiderio coelestis epuli; deinde in profunda humilitate et reverentia; denique in ferventi amore et fiducia *b*. Ita Rodriq. 2, *p. tr.* 8. *c.* 5. Mayer. 1. *p. c.* 14.

Aequum enim est, ut is, qui sacrificium, ex flagrantissimo infiniti amoris excessu institutum, Deo, qui ignis consumens est, Hebr. 14. *immolaturus accedit, simili quoque devotionis igne totus inardescere studeat, quo facilius divini amoris flammas ex participatione ignitissimi sacramenti totis praecordiis hauriat. Ita Mayer.* in Indust. 1. p. c. 14.

a. An vero actualis devotio ita sit necessaria, ut eius defectu impediatur effectus gratiae sacramentalis, disputant plerique inter theologos. Resp. Dignitas huius sacramenti actualem requirit, non tamen, ut absolute necessariam ad primarium ipsius effectum, sed ut magis fructuosam et utilem ad spiritualem eius gustum percipiendum. Et hoc addimus, ad consulendum timoratis conscientiis. Nam de aliis, actuali devotione ex mera incuria carentibus, aliud est iudicium. Vide Reginal. Prax. Fori Poen. *lib.* 29. *c.* 6. *q.* 3. Suarez *in* 3. *p. disp.* 63. *sect.* 3. Dion. Carth. *de expos. Miss. art.* 4.

b. *Ad haec tria capita,* ait idem Rodriq., *reduci possunt caetera affectuum genera et exercitia, quae ad actualem devotionem excitandam conferunt. Vide etiam Christ. Mayer.* in Indust. 1. p. cap. 24. ubi ait: *Praecipuam diligentiam adhibendam in vera devotione excitanda, id est, in ardentibus affectibus religionis, humilitatis, et*

reverentiae divinae maiestatis debitae, gratitudinis, compunctionis, amoris, resignationis, zeli gloriae Dei, divinique beneplaciti perfecte exequendi, ardenter eliciendis. Vide etiam Fran. Arias *de freq. com. cap.* 13. Sed iam tria illa puncta actualis devotionis prosequamur. Sit ergo Aph. 6.

6. Famem ac vehemens mensae divinae desiderium in anima sua excitare conetur sacerdos et pius quisque, qui gustu et dulcedine coelestis cibi plenius refici, et spirituale virium robur acquirere desiderat, *Rodriq.* 2. *p. tr.* 8. *c.* 5.

Quemadmodum enim is cibus sapit optime, alitque et roborat quam plurimum, qui cum fame et appetentia sumitur: ita cibus spiritualis huius sacramenti singulariter reficit animam, quando magno cum desiderio sumitur. Nempe, ut illic, ita hic quoque optimum cibi condimentum fames. Vide *Rodriq. loc. cit.*

Ex medicorum quoque sententia, in assumendis cibis plurimum ad bonam valetudinem momenti habet fames et appetentia, ita quidem, ut cibi quoque paulo deterioris noxam fames et desiderium corrigat. Quaecunque enim cum voluptate assumuntur, (teste *Galeno*) ista ventriculus amplexatur, et magis concoquit. Gal. *lib.* 2. *Aph. comm.* 38.

Si hoc in cibis minus bonis et salubribus, quid fiet in bonis et utilibus, si cum fame et voluptate sumantur? At quis melior, aut salubrior, quam panis angelorum, factus cibus viatorum? Iam vero, si cibos cum nausea sumamus, aut ingestione cibi famem praeveniamus, mox cruditas, morborum omnium seminarium, obstructiones atque putredines oriuntur; teste

Fran. Valeriola *in loc. com. l. 2. c. 6.* Idem quoque in hoc cibo animae valet, si citra desiderium sumatur.

7. Cibi fastidium, male affecti, et pravis humoribus oppleti ventriculi, vel morbi, vel emorientis vitalis facultatis signum est. *Galen.* Ita nausea huius cibi coelestis morbum animae, *a* et imminentem mortem indicat. *b* V. Gerson. *Tom.* 4. *ser. de Coena Dom.*

Absit ergo, ut nauseet anima nostra super cibo isto, tanquam levissimo. Scimus, quibus, et quam noxia fuerit huiusmodi nausea. Timendum sane, ne, qui nobis tam nobilem apponit cibum, si nauseantes viderit, et ipse nauseabundus incipiat evomere nos ex ore suo. Nempe esurientes implebit bonis, et fastidiosos divites dimittet inanes.

a. Hinc invitatis ad coenam, sed ex fastidio se excusantibus morbus, avaritiae, ambitionis, luxuriae patuit. Vis aliud et gravius (mortis) videre periculum? Ecce, *Nemo virorum illorum gustabit coenam meam.* Exclusio a coena, quid est nisi aeternae mortis poena?

b) Fastidire, ait Gerson, *manna coelicum, huius benedicti sacramenti, et ad ollas carnium, allia, et pepones Aegypti suspirare, signum est nunquam pertingendi ad terram coelestis promissionis incolendam. Talium enim cadavera prostrata sunt in deserto; quales etsi corpore esse videantur in via Dei ad coelum, ipsi tamen lubrico amoris pede in aegyptiacam vitiorum, ferreamque servitutem revertuntur. Ita Gerson.* Tom. 4. Serm. de Coena Dom. mihi pag. 89.

8. Ut famem et desiderium cibi divini in te excites, expende illius excellentiam,

dulcedinem, utilitatem; e contra animae tuae inediam, infirmitatem, morbos, et miserias, quibus omnibus in uno hoc cibo praesentissimum offertur remedium. Rodriq. *p.* 2. *tract.* 8. *c.* 5. Mayer. *in ind.* 1. *p. c.* 14.

Cogita, quo desiderio nobis haec mensa à Christo praeparata sit. Ecce, desiderio desiravit hoc pascha manducare nobiscum. Et nos segniores erimus ad accipiendum, quam ipse fuerit ad offerendum? Quid si dives aliquis in magna fame et inedia publicum instruat, et lautum convivium, omnes invitans pauperes et famelicos; an libebit his vagari magis per plateas, quam ad instructum prandium accurrere? an forte accumbent cum nausea, et pigebit ad cibum manus extendere?

Ecce Deus dives in misericordia, qui aperit manum suam, et implet omne animal benedictione, is parat mensam in conspectu nostro, cibo lautissimo instructam. Accedamus cum desiderio, et ipse reficiet animas inanes, et animas esurientes satiabit bonis.

Quid si peritissimus medicus in nosocomium ingressus omnibus aegris certam spondeat sanitatem, modo curari velint. Quis ibi tergiversabitur admittere tam benignam medici manum et medelam? At in hoc mysterio praesentissimus nobis adest medicus, omnes sanans languores. Ecce cura et opera eius claudi ambulant, coeci vident, surdi audiunt, leprosi mundantur, imo mortui resuscitantur. Virtus de illo exit, et sanat omnes.

9. Reverentia et humilitas excitabitur in nobis, si serio expendamus venientis ad nos Domini immensam maiestatem et

gloriam: et nostram e contra extremam indignitatem et miseriam. Vide Rodriq. *tract.* 8. *c.* 5.

Erubesces merito coram Deo, ponderans quam indigni sumus, ut nostri causa tanta maiestas tam admirabile mysterium instituerit; sicque pudore perfusus, deplora perversitatem tuam, quod tam segniter et languide sacramentorum omnium dignissimum usurpes.

Exemplo nobis praeunt, publicanus, non ausus in coelum oculos levare, nec ad altare propius accedere; sed stans a longe, et profunda animi demissione percutiens pectus suum ac dicens: *Propitius esto mihi peccatori.*

Filius quoque prodigus, humilians se coram patre, ac dicens, *pater peccavi in coelum et coram te, et iam non sum dignus etc.*

Item Centurio ille; *Domine non sum dignus etc.*

Elisabeth a Virgine Deipara visitata, admiratur: *Et unde hoc mihi, ut mater Domini veniat ad me?* Quid nos, quos Dominus ipse visitare dignatur? *Quid est homo quod memor eius? aut filius hominis quia visitas eum?*

Miphiboseth, filius Ionathae, audiens se deinceps Regiae Davidis Mensae convivam fore, *quis ego sum,* ait, *servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* 2. Reg. 9. Quid nos toties in Dei ipsius mensa convivae, ubi etiam ipso summi Regis corpore et sanguine pascimur? etc.

Dic ergo ex intimo corde: *Domine quis es tu, et quis sum ego? O si noverim te, et noverim me. Domine non sum dignus, etc. Dominus meus et Deus meus. Tu rex coeli et terrae; ego pulvis et cinis, et vilis terrae vermis. Quid est homo, quia magnificas eum? etc.*

10. Amor et fiducia efficacius excitari nequit, quam si pensetur infinitus Dei in nos amor, bonitas, et misericordia, si unquam vel uspiam, in hoc praecipue mysterio elucescens. Vide Rodriq. *loc. cit.*

Amor trahit amorem, nec efficacior stimulus amandi est, quam amari. Quis vero ardentius unquam amavit, aut poterit, amare, quam Deus homines? *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, olim in praetium, et nunc in cibum, denique in praemium. *Proprio filio suo non pepercit Deus etc.* Christus ipse humiliavit semetipsum usque ad mortem, et desiderio desideravit hoc pascha manducare nobiscum, in quo suum ipse corpus et sanguinem nobis in cibum daret.

Quis non redamet usque adeo nostri amantem? Quis etiam non accedat ad illum magna cum fiducia? Quid enim non dabit, qui totum dedit seipsum?

Quis pastor, ait Chrysost. *oves proprio pascit cruore? Et quid dico pastor? Matres multae sunt, quae post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus; hoc autem ipse non est passus. Sed ipse nos proprio sanguine pascit, et per omnia nos sibi incorporat.* Hom. 60. ad pop. et 83. in Matth.

Ecce potens motivum amoris, quod nos ad reciprocum amorem permoveat. Sed audiamus praeterea Chrysost. aureis verbis et mire patheticis nos excitantem.

Nonne videtis, quanta promptitudine parvuli papillas capiunt, et quanto impetu labia uberibus infigunt? Accedamus cum tanta et nos charitate ad mensam, et ad ubera spiritualia; quinimo cum longe maiore trahamus, tanquam infantes lactentes, spiritus gratiam; et unus sit nobis dolor, hac esca privari. Hom. 33. in Math.

11. Pia et affectuosa Dominicae passionis meditatio optima, commodissima *a*, et convenientissima *b* est actualis ad missam et communionem devotionis excitandae ratio.

Ita S. Bonav. *de Praep. Miss. c.* 6. Rodriq. *p.* 2. *tr.* 8. *c.* 6. Arias *de freq. Com.* 11. Sucquet *lib.* 3. *viae vit. c.* 8. ubi etiam singulariter meditatio incarnationis et navitatis Dominicae commendatur, eo quod per communionem mysteria ista quasi innoventur.

a Nam in hac concurrunt omnia, quae excitandae devotioni praescribi possunt media et motiva. Omnium piorum affectuum hic affatim suppetit materia. Nimis stupidus, aut ignavus est, qui hic non invenit, quo se exerceat, quo se excitet, et inflammet ad omnia pietatis officia; hoc praesens praecipue, quod illius memoriale est.

b Nam potissima ratio instituendi huius sacramenti Christo fuit, ut perpetuam nobis commendaret suae passionis memoriam. Unde dicit: *hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 21. Si sacerdotis celebrantis vestimenta, et tota sacra actio accurate spectetur, quid aliud quam Christi patientis mysteria nobis repraesentant? *Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* 1. Cor. 11.

Hinc consulit S. Bonav. ut quòtiescunque ad S. mysteria accedimus, aliquem articulum ex passione Domini ruminemus. Hoc se observasse, et inde animam suam divino amore liquefieri solitam testatur. Vide Bonav. *de Praep. ad Miss. c.* 6. *et in fasc. c.* 7.

Hinc quoque Abbas Spanheim. Trithem. merito sic scribit: *Cum missarum celebratio in me-*

moriam Dominicae passionis per ipsum redemptorem nostrum instituta sit, nunquam se homo ad illam melius et fructuosius praeparat, quam si per meditationem ipsius amarissimae passionis ferventius inardescat. Ita ille *de tripl. Reg. claust.*

Haec praecipua parandae devotionis praesidia sunt. Sed, quid si iis omnibus diligenter adhibitis, necdum sentias quam optas devotionem, sed ariditatem nihilominus mentis, teporem et languorem affectus, animique distractionem experiaris? En consilium et solatium:

12. Si post adhibitam diligentiam, optatum in usu huius sacramenti fervorem, devotionem, desiderium tibi deesse sentis, vehemens saltem illius desiderium in te excitare memento. Et divinae voluntati te conforma. Ita Rodriq. *p.* 2. *tr.* 8. *c.* 8. Paz. *lib.* 3. *cap.* 9. *et alii.*

Nam desiderium pauperum exaudiet Dominus, praeparationem cordis eorum audiet auris eius, et rationalis devotio sensibili multo sublimior. Itaque omnem torporem et teporem quantum vales excute. Dilata os tuum, saltem per vehemens desiderium, et Dominus implebit illud, et dabit tibi petitiones cordis tui, si non modo, ad votum et voluntatem tuam; certe, cum volet ipse, ad salutem et utilitatem tuam.

Hanc praeparationem sibi gratam Dominus suis dilectis non semel suggessit. S. Mechtildem, teste Blosio sic communicare docuit. *Quando sacram communionem perceptura es, desidera et opta ad laudem nominis mei, habere omne desiderium, omnemque amorem, quo unquam cor aliquod erga me flagravit, et ita ad me accede; nam ego amorem illum in te accendam atque suscipiam, non sicut est in te, sed sicut velles*

eam in te esse. Idem de S. Gertrude refert idem Blosius in mon. spir. cap. 6.

Quisquis ergo secure accedere cupit, non multum curet, quid sentiat, sed quid velit et intendat; affectum et voluntatem suam ad Deum ex toto convertat, omnibus illis quae Deo displicent, cum humili voluntatis suae in Dei voluntatem resignatione vale faciat ex ipso fundo. Ita religiosiss. Ecclesiastes Thaulerus, (uti eum laudat Drexel.) in Inst. sacris. cap. 38. *Vide Drexel.* in Rosis B. V. p. 2. c. 7. §. 7.

Ad confirmandum hanc doctrinam libet adscribere, ex magno spiritus magistro, verba solatii plena. *Licet,* inquit, *quis secundum hanc perfectionem conversari studuerit, et tam quietam ac puram vitam et fervidam devotionem sortiri optaverit, non tamen semper ad nutum suum se taliter devotum inveniet, nec ideo a celebratione, vel communione abstinendum opinor, dum fecerit homo quod in se est: utputa vitam et conscientiam discutiendo, peccata confitendo, gratiam implorando, et in spe divinae clementiae accedendo.*

Quamvis enim experimentalem illam devotionem, ac perceptibiliter dulcem affectum non habeat (quae frequenter ex redundantia superioris appetitus ad inferiorem, seu voluntatis ad sensualitatem causatur) si tamen ratio optet Deo adhaerere, et vitiis dissentire laboret, et voluntas inferioris appetitus motibus dominetur; tunc vera et intellectualis devotio adest. Et haec sufficit, imo tutior est. Ita Dion. Carth. lib. de expos. Miss. art. 3.

Idem praeclare docet Lud. Granat. rerum spiritualium excellens scriptor, tum alibi saepe, *ut lib. 2. de orat. c.* 1. tum *lib.* 4. *sive tract. de communione c.* 1. ubi inter caetera: *Itaque,* ait, *examinemus nosmetipsos, non secun-*

dum quod sentimus, sed secundum propositum et intentionem cordis nostri. Etenim qui facit hoc, non tantum sacramentum, sed et ingentem simul accipit gratiam in sacramento latentem etc.

Sed pro coronide audiamus Laurent. Iustin. *Nemo servorum Dei*, inquit, *ab hoc prorsus se subtrahat sacramento, quamvis actualis desit devotio. Diversimode operatur Dei sapientia in sibi famulantibus effectus gratiarum suarum. Nullique fas est iudiciorum Dei arcana rimari, et propterea non debet a sancto Domini convivio repelli indevotus iuste vivens, virtuose conversans, humiliter se agnoscens, pure confitens, et reverenter accedens. Talis quippe insensibiliter hoc sacramento nutritur ac vivit; nam manna absconditum est, etc.* De desc. et prof. Mon. cap. 59.

Quid ergo restat, nisi ut cum pio Thoma dicamus: *Etsi necdum totus coelestis et tam ignitus, ut Cherubim et Seraphim esse possum, conabor tamen devotioni insistere, et cor meum praeparare, ut vel modicam divini incendii flammam ex humili sumptione vivifici sacramenti conquiram. Quidquid autem mihi deest, bone Iesu, Salvator sanctissime, tu pro me supple benigne ac gratiose, qui omnes ad te dignatus es vocare, dicens:* Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. *lib.* 4. *cap.* 4.

Recurre etiam, ait Reginald. *ad Beatissimam Virginem aliorumque SS. patrocinium pro necessario ad tanti Regis exceptionem apparatu, ex ipsius regia obtinendo. Illi enim domestici eius sunt, et familiares, plurimum apud ipsum valentes authoritate; dignitatis item ipsius studiosissimi sunt, ac nostrae utilitatis amantissimi. Imitemur rusticum, qui excepturus virum nobilem, casam quidem suam purgare potest, sed ut eam ornet, ad alienam locupletiorum opem recurrit.*

Ita ille in *Praxi f. p. de ratione digne communicandi.* Sed haec satis. Ignosce prolixitati P. L. Materia inexhausta est; finem et fundum hic non invenio.

CAPUT VI.

Pura et sancta intentio celebrantium, seu communicantium.

1. Magna quidem in omni pietatis officio, *a.* sed maxima in hoc praecipuo religionis opere purae et rectae intentionis cura gerenda est. Bonav. *de praep. ad Miss. c.* Ant. Molina *Instr. Sac. tr.* 4. *c.* 7. Paz. *de vit. Rel.* 1. *c.* 8. §. 2.

Quanta sit vis purae et sanctae Intentionis, actionibus nostris adhibitae, passim tradunt vitae spiritualis magistri. (Vide Rodriq. *Exer. Perf.* 1. *p. Tr.* 3. *c.* 7. *et seqq.* Paz *de vit. edit.* Sucquet. *via vit. lib.* 3. *c.* 11. Drexel. *obsc. singul. quod inscribitur Amussis.*)

a. Per eam siquidem opera nostra Deo fiunt longe gratiora, nobis multo utiliora ad augmentum charitatis ac gratiae, et cumulum meritorum. Per eam minima admodum crescunt; sine illa etiam magna et speciosa vilescunt. Minima, inquam, nostra per eam a Deo maximi fiunt; ut patet in vidua, duo minuta offerenti, vel haustum aquae frigidae largienti; imo adiaphora quoque seu indifferentia fiunt Deo grata, et nobis meritoria, et velut virgula Mydae aurea charitate inaurantur. Ratio est. Nam actiones humanae speciem sumunt a fine, ad quem ordinantur, aut ab intentione qua fiunt; et

secundum quod finis, ait S. Thom. *propter quem operamur, est laudabilis, vel culpabilis, secundum hoc sunt opera nostra laudabilia vel culpabilia.* 1. 2. q. 1. art. 3.

Idque adeo verum est, ut cum nihil sanctius sit in ecclesia, quam tractatio sacramentorum, si ea fiat prava intentione, aut perverso fine, mala sit et sacrilega. Itaque quo finis et intentio fuerit sublimior et nobilior, eo erit opus ipsum perfectius et excellentius. V. g. sumptio cibi, potus, somni, etc. (ut de actionibus virtutum taceam,) si fiat pro amore Dei, et ad solam eius gloriam, tantum excellit eadem naturae opera, solo fine naturali, (nempe ad conservationem individui) facta, quantum solis iubar, lumen lampadis; item eleemosyna ex amore Dei facta tantum superat eandem solum ex humana compassione factam, quantum oceanus guttam aquae. Vide iam, quanti referat nosse hanc alchymiam, et artem omnium quaestuosissimam, qua ex vili plumbo, et quovis aere facias aurum, et ex aqua pretiosissimum balsamum, id est, ex vili opere rem Deo gratissimam, tibique utillissimam. Ex his recte infertur seq. aphor.

2. Non effugiunt notam reprehensionis ii sacerdotes, qui sola ducti consuetudine, ad divina accedunt, et iam instante hora, aut occasione, aut cum officium, occasio, seu vices celebrandi postulant, sine ulla consideratione ad haec mysteria feruntur. *Ita Molina Tr. 4. c. 7. §. 1.*

Et addit idem, tales incurrere in reatum eorum, qui accedunt, *nec diiudicant Corpus Domini.* Idem docet Thom. a Iesu, *Carm. Discal. Provin. Animae,* inquit, *quae ex sola con-*

suetudine et sine actuali dispositione ad hoc sacramentum accedunt, quasi nullum ex illo fructum reportant; magnusque est, pro dolor! talium numerus, qui sicut vix ullum ex hoc coelesti pabulo robur percipiunt, sic facillime in culpas graves labuntur. In meth. disc. prof. spir. cap. 6. Sed pergit Molina.

3. Maiore digni sunt reprehensione, qui ad divina se conferunt, temporalis lucri causa, sive propter stipendium, quod a missa sunt accepturi. Ita Molin. *l. sup. cit.*

Sed dices, an non licebit his, qui altari deserviunt, de altari vivere? 1. *Cor.* 9. Licet, sed non istuc tanquam in finem principalem ferri debet intentio; hoc enim nefarium esset, et Giezi lepra, aut Simonis lapsu dignum.

Sacerdotes praecipue ob lucrum aut commodum suum celebrantes, nihilo meliores sunt duobus illis filiis Aaron, Nadad et Abiu, qui obtulerunt Deo sacrificium ex igne alieno, id est, profano; cum debuissent adhibere sacrum, qui peculiari cura ad sacrificia et thymiamata fovebatur, et propterea ignis de altari egressus eos devoravit et consumpsit. *Levit.* 10.

Ignis sacer, et divino sacrificio deputatus est *charitas*, quae movere debet ad sacrificandum et communicandum. Ignis alienus et profanus est *cupiditas*, cum anima movetur ex avaritia, similique causa; quem ignem non Deus, sed caro, vel daemon suppeditat. Caveant sibi, qui talem ignem sacrificiis adhibent, ne quos imitantur sacrificio, eorum quoque supplicium mereantur. Vide Pet. Damiani *in Tubis Disc. Eccl. pag.* 483. Sed interim Bonaventuram audiamus, contra huiusmodi sacerdotes terribiliter intonantem.

Vae, vae, vae Domine Deus, quanti hodie infelices ad sacros ordines accedunt, et divina mysteria accipiunt, non coelestem panem, sed terrenum quaerentes; non spiritum, sed lucrum; non Dei honorem, sed suam ambitionem; non salutem animarum, sed quaestum pecuniarum; non Christo servire mundo corde et corpore in sacris ministeriis, sed delitiari, ditari, superbire, et luxuriari de patrimonia Christi, et de eleemosinis pauperum, ut ecclesiasticas dignitates ambiendo multis litigiis, et simoniis potius rapiant, quam assequantur, non vocati a Deo, tanquam Aaron, sed impulsi a diabolo tanquam Dathan et Abiron. Tu autem homo Dei, dirige vota tua et desideria ad Deum; et vide quibus affectionibus et desideriis trahi debeas ad sacra mysteria celebranda. Ita S. Bonav. de praep. c. 8. *ubi varia huiusmodi motiva proponit.* De huiusmodi quoque sacerdotibus graviter conqueritur Concil. Colon. an. 1536. *Tit.* 1. *cap.* 9. ubi sic habet:

Certe graviter dolemus, atque animo inhorrescimus, ubi videmus passim tantis mysteriis indignos ac conductitios illos sacerdotes, publicis etiam ac manifestis criminibus contaminatos, sese, idque irreverenter, et interdum magis lucelli ac stipis, quam Dei causa, sacris ingerere, quorum instat interitus, et perditio non dormitat. etc. Ita Concil. Colon. Tit. 1. cap. 9.

Merito proinde Octavius Frangipanus Nuncius Apost. per Germaniam sacerdotes omnes graviter et serio monuit:

Abstineant omnes sacerdotes a cuiusvis generis mercedum conditionibus, et pactis; nec quidquam pro missis celebrandis, aut quibusvis aliis divinis officiis seu orationibus exigant.

Et si quando nihil, aut aliquid, minus liberali animo, honorarii loco eis donatum fuerit, non

in hoc contristentur, minimeque aliquod indignationis dent indicium, ne de avaritia notentur vel certe a turpi quaestu, vel simoniaca labe non procul absint, dignitatemque suam ex levi causa turpissima macula conspurcent.

Quin potius, ut ostendant se magno liberalique animo gratis dare, quod gratis acceperunt, ab omni cogitatione et desiderio muneris ac honorarii se semper contineant; et si quando aliquid accipere cogantur, illud quamvis exiguum laetiori lubentiorique animo accipiant, quam paupercula illa vidua aera minuta duo, quae sola habebat, in gazophylacium mittebat. Ita Octav. Frangip. Episc. Tric. in direct. Discip. Eccl. pro Eccl. Colon. Tit. de div. off. n. 53. Qui liber sane perquam elegans et utilis, utinam sit in manibus, aut potius moribus omnium ecclesiasticorum, huius praesertim dioeceseos, in cuius potissimum gratiam scriptus est.

4. Rectitudo intentionis hic necessaria non tantum prohibet, ne propter lucrum, vanam gloriam vel alium finem similem celebres, *a* sive communices; verum exigit, ut actuali intentione, aliquem finem *b* excelsum, coelestem, divinum quaeras, et ad rem Deo placitam, proximis utilem, tibi salutarem respicias. Ita Iacob. Paz. *de vit. rel. l.* 1. *c.* 8. §. 2.

a. Idem monet Bonavent. *Vide* inquit, *quid desideres, ne propter avaritiam, aut vanam gloriam, aut consuetudinem, aut alicuius mundanae complacentiae, aut temporalis favoris causa accedas, sicut multi diebus istis abutuntur ad sui perditionem, quod datum est ad salutem. S. Bonav.* de praep. ad miss. c. 8.

b. Nos aliquot huiusmodi fines in gratiam pii lectoris hic assignabimus.

1. Ut a morbis et infirmitatibus animi sanemur, per medicum animarum nostrarum optimum, nos in communione visitantem.

2. Ut peccata nostra expiemus, nec enim efficacior victima pro peccatis, quam agni immaculati, qui tollit peccata mundi; ipse enim est advocatus noster, et propitiatio pro peccatis nostris apud Patrem.

3. Ut a certa tribulatione, augustia vel tentatione liberemur per Christum, per quem salvati et liberati sumus.

4. Ut certam gratiam, aut beneficium impetremus per mediatorem, qui a Patre semper exauditur pro reverentia sua.

5. Ut pro acceptis a Deo donis grati simus, cum nihil habeamus praestantius aut gratius offerendum Deo, quam dilectum eius filium, in quo sibi bene complacuit.

6. Ut Deum et sanctos honoremus, quia Christus est caput SS. non ad mensuram sanctus. Quid vero honorificentius sanctis, vel acceptius fieri potest, quam si in ipsorum festis, et sacris aedibus offeratur ille, cui se debere libentes agnoscunt omnem sanctitatem et beatitatem?

7. Ut opitulemur defunctis, cum nihil efficacius pro illis interpellet apud Deum Patrem, nihil melius clamet, quam sanguis Christi effusus in remissionem peccatorum.

8. Optimus vero et primarius finis est, ut Deo uniamur per amorem, convertamur et transformemur in ipsum, sicque inseparabiliter ei adhaereamus, dicentes cum Propheta:

Mihi adhaerere Deo bonum est, et ponere in Deo meo spem meam. Quid enim mihi est in coelo? et a te quid volui super terram? q. d.

Quid aliud quaeram vel intendam, dum sacris mysteriis operor, et fruor, quam placere et adhaerere Deo meo? Absit, ut huc vili aliquo aut terreno fine ducar; quin omnia caetera arbitrabor ut stercora, quia hic Christum et Deum ipsum lucrifacio; Dominus enim hic est pars haereditatis meae et calicis mei; et ipse est, qui postmodum restituet haereditatem meam mihi. Itaque *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Ecce Domine, haec meus et intentio mea. *Voluntarie* ergo, non mercenarie *sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.*

Formulam seu praxin formandi intentionem ante Sacrum habet Meyer. *in indust. c.* 15. §. 5. Et habebis forte ad finem huius opusculi.

CAPUT VII.

Corporis et animi compositio sub sacrificio et communione.

Ex his quae hactenus tradita sunt, satis colligi poterat, quanta reverentia, attentione, modestia, et gravitate tantum opus peragi necesse sit. Sed, nunquem satis dicitur, quod nunquam satis discitur. Itaque PP. Conc. Trid. audire iuvat.

1. Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, *a* quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum eum in sacris litteris vocari, (*Ierem.* 48.) qui facit opus Dei

negligenter. *b* Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interioris cordis munditia et puritate, atque exteriori *c* devotionis ac pietatis specie peragatur. Ita Patres Conc. Trid. *sess.* 22. *ante cap. Reform.*

a. *Propterea huic sacrae actioni addidit sancta ecclesia tam varias ceremonias et orationes, ut tanto maiori maiestate, religione, et reverentia hoc supremum opus perficeretur. Quamvis alias tota ratio sacrificii missae praecipue consistat in consecratione specierum, et (iuxta aliquos) in earum consumptione per communionem sacerdotis. Ita Bonav. Dernoyus,* Francisc. Obs. in addit. ad prax. iustit. ubi pulchra habet pro devotione celebrantium.

b. Ex iisdem verbis hoc colligi iubet Dion. Carth. *Si maledictus est homo,* inquit, *qui facit opus Dei negligenter, quanto maledictior, qui hoc divinissimum sacramentum, coeleste mysterium facit negligenter, indevote, vel irreverenter? plane si non mentitur Apostolus: Reus erit corporis et sanguinis Domini.* Deinde distinguit triplicem attentionem ex S. Thoma, et pergit: *Haec autem triplex devotio ad digne celebrandum exigitur, praesertim in canone, et maxime circa consecrationem. Debet enim sacerdos sacratissima verba canonis distincte proferre, sensum quoque verborum pro toto suo posse advertere, atque ad*

Deum totam suam contemplationem principaliter et amorose dirigere, beneficia eius recolendo, admirando, laudando, et amplectendo, omni expulso phantasmate vano, et distractione abiecta. Debet enim cum metu et reverentia in hora consecrationis et immolationis omnipotenti Patri adsistere, atque ardenti affectu, ac interno sapore beatissima verba effari. Ita ille de expos. Miss. art. 14.

c. Non animi modo, sed et corporis reverentiam hic commendari vides. Pulcram eius rei rationem ex Iacob. de Paz accipe: *Aequum enim est, ut animae, corporisque Creator ab utroque honorem et reverentiam accipiat; aequum etiam, ut si anima Dei visione satianda est, et corpus dotibus gloriosis ornandum, istud et illa Deo glorificatori eorum per reverentiam se subdant. Quin et Christus, qui primus hoc sacrificium sui corporis et sanguinis obtulit, carne simul et mente passus est, et utraque portione sui nostram salutem curavit, ut discas tu, utraque parte tui, corpore et animo illi reverentiam exhibere.* 1. *Alv. de Paz* lib. 1. de vit. Rel. c. 9. §. 2. edit. poster.

2. Quandocunque sacerdos sacrificans ex praescripto missalis, aut libri ritualis genua flectet, non leviter genibus se incurvet; sed ut adorantes Deum vivum et verum in spiritu et veritate decet, profundissime usque ad terram sese in genua dimittat, *a* et internam animi sui humilitatem ac reverentiam, externa hac adoratione Deo omnipotenti sacrificet. Ita Octav. Frang. Episc. Tricar. Nunc. Apost. *in direct. Disc. Eccl. pro Eccl. Colon. Tit. de div. off.*

a. Vide Rubricas Misal. Romani cum annotat. Matthiae Kinckii *Canon. Hildesheim.* ubi ostendit, non satisfieri praescripto rituum in genuflexione, nisi ad terram usque fiat. Et novissime Barthol. Gavant. Mediol. *in Thes. Sac. Rit.*

O quam indignum profundiores nunc saepe fieri, etiam in templis, inflexiones ad honorandum hominem, quam Deum in altari praesentem!

3. Totum sacrum missae canonem, aliasque orationes, quae ob mysterium ac religionem tacite pronunciandae sunt, sic pronunciet, ut ipse quidem distinctum verborum sonum leniter percipiat, adstantium autem proxime nemo percipere distincta verba possit. Ita Epis. Tricar. *l. cit. n.* 17.

Sed notandum quod monet ibidem. *Ut tanto maiori animi intentione, maiorique intentionis distrahentis silentio, eas Deo Patri in sanctuario pectoris sui offerant; quanto, ut monet externum vocis silentium, sacerdotum orationes, orationibus populi, in hac praecipue sacra ac sacerdotali actione, debent esse puriores et efficaciores.*

4. In faciendis vivificae crucis consignationibus praescriptam a rituali libro formam exactissime perfectissimeque observent; ne circulos aut quaevis alia figmenta potius, quam sacrum crucis signum formare videantur. Ac tum cum omni attentione ac reverentia in rem signatam, passionem nimirum, mortem ac merita Domini nostri Iesu Christi

animum figant; precesque atque actionem suam ad consequendam a coelesti Patre Primogeniti benedictionem hoc suavissime olente vestimento ei acceptabiles ac gratas faciant. *Ibid. n.* 79.

Quomodo illae ceremoniae exteriores, alias mortuae, spiritu animandae sint, praeclare docet Iacob. Alv. de Paz, dum inquit, *reverentiam exteriorem custodies, si sacras ceremonias, ab ecclesia institutas, pulcre, attente, graviter, et cum quadam dignitate perficias; si, cum genuflectis, ita id facias, ut qui Deo submissionem profiteris, vel cultum latriae defers; si, cum hostiam et calicem benedicis, ita signa illa sacra facias, ut qui sacrificium Deo acceptissimum benedicis; si, cum verba missae profers, ita distincte et clare proferas, ut qui Deum ipsum alloqueris; si denique ita omnia ibi dicas et facias, ut dignum est voce promi, et actione perfici, quae Dei spiritu, sanctam ecclesiam regente, approbata sunt et instituta. Ex Iac. Alv. de Paz* lib. 1. de vit. Rel. c. 9. §. 2.

Forte erit, cui otiosa et superflua videatur tam scrupulosa in istis ritibus observantia. Sed hunc ego ad aulas ire iubeo, ut discat esse pius. Vide, inquam, quomodo ibi ad regis aut principis obsequium intenta sit omnis illa aulicorum turba; quam illic scrupulose ritus et ceremoniae aulicae observentur.

Sed audi virum religiosum, hoc ipsum inculcantem. *Ministri regum*, inquit, *et principum suas habent urbanitatis leges, quas nefas est praeterire: quidni ecclesia, spiritu veritatis edocta, illas ceremonias instituat, quibus erga Deum officiosi et urbani simus, et ei comiter et decenter serviamus? Si ergo magni momenti esse videtur, erga magnates huius saeculi urbane se*

habere, et in nulla re, quantumvis minima, ad reverentiam eorum spectante deficere, quanti momenti erit summum Deum, signis reverentiae ab ipsomet per ecclesiam institutis, absque ullis defectibus honorare? etc. Iac. Alv. de Paz l. cit.

Si libet alium videre virum non minus religiosum, cui in aula fuisse, et haec quae dixi, spectasse profuit? Ecce, Anton. Molinam, Carthus. Hisp. Refert ille sibi contigisse aliquando, ut regem discumbentem videret, et qua veneratione illa nobilium turba regem cingeret, quomodo bibituro e primatibus unus scyphum porrigeret, qui corpus tam profunde inclinabat, ut infra mensam prorepere velle videretur. Fatetur hinc se vehementer compunctum, dum consideraret, sic honorari hominem mortalem, qui revera esset, non secus ac vermis, putredini obnoxius, pari cum caeteris mortalibus conditione, miseriis, morbis, mortique expositus; et cui vel una levis febricula fatalis futura esset. Deum vero, Regem saeculorum immortalem, et in mensa eucharistica vere praesentem, tam irreverenter, tam oscitanter, tam torpide, et sordide coli ac honorari. *V. ipsum Tr.* 3. *c.* 12. §. 3.

En, quid ab aula proficere liceat pietatis studioso. Sed, ut nunc mores sunt, aulae ritus et ceremoniae religiosius et accuratius observantur, quam altaris et ecclesiae. Adde, quod ibi omnia nitent, argento, auro, gemmisque fulgent omnia. Hic saepius squalore, situ, et sordibus horrent universa. Qua in re, vide, quid Cardinali Bellarmino in palatio cuiusdam magni praesulis agenti contigerit; uti refert ipse *lib.* 2. *de Gem. Col. c.* 4. Vide eundem *Conc.* 5. *super Miss.*, in sorditiem altarium graviter invehentem. Vide etiam si placet Pet. Damian. *in* 7. *Tubis nostris* pag. 474.

5. Ad excitandam et conservandam sub missa attentionem et reverentiam plurimum momenti habet, proponere sibi Deum in regio throno cum summa maiestate praesentem, cinctum agminibus angelorum, qui regi suo trementes adsistunt, seque illis admisceri, ut simul cum illis obsequium suum summo regi deferat, et id quidem longe dignius et excellentius omni angelico ministerio. Ita fere Lud. de Pont. *Tom.* 4. *t.* 2. *c.* 11. *et alii.*

Thronus iste seu tribunal altare est, in quo Deo offers tremenda mysteria. S. Chrysost. cum *hom.* 5. *de incompr. Dei natura* contra Anomaeos dixisset, Christum Dominum in eucharistia quasi iudicem pro tribunali sedere, subiungit: *Cogita quem proxime stas, quibuscum invoces Deum, scilicet cum Cherubim, cum Seraphim, cum omnibus coeli virtutibus; animadverte quos habeas socios; satis hoc tibi ad sobrietatem, cum recordaris te corpore constantem, et carne coagmentatum admitti cum virtutibus incorporeis laudare Dominum omnium.*

Idem hom. 1. de verb. Isa. *Non cogitas,* ait, *quod angeli huic stupendae adsistunt mensae, cumque reverentia hanc circumvallant.* Similia habet *hom.* 3. *de incomp. Dei Nat.* Et alibi; sed diserte *lib.* 6 *de sacerdot.*

Per id tempus et angeli sacerdoti adstant, et coelestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, angelorum choris plenus est. Id quod credere abunde licet, vel ex tanto illo sacrificio quod tum peragitur. Ita Chrisost. *lib.* 6. *de sacerd. c.* 3. Vidi Tubas Discip. Eccl. *pag.* 348,

ubi dicta exemplis confirmat. Et poterat seipsum Chrysost. in exemplum adducere, nisi verecunda humilitas obstitisset. Refert enim S. Nilus *Epist. ad Anastas. Episc.* saepius Chrysostomo visos Angelos, dum sacrificium offerret. *Tom.* 3. *Bibl. SS. PP.* Similia vide apud S. Greg. M. *l.* 4. *Dial. c.* 56. et Pet. Damian. *in Tubis p.* 483.

Sed placet haec ipsa confirmantem audire virum sanctissimum Laurent. Iustin. *Est enim altare,* (ait) *super quod sacrosanctum Christi corpus immolatur, mons spiritualis sublimis etc. Quanta autem circa eundem, maxime tempore, quo sacrificium memoratum conspectui praesentatur Altissimi, sit angelorum, archangelorum frequentia, mortalium nemo valet edicere. Laetantur quidem tunc plurimum, si sumentis ac ministrantis mentem agnoverint non haesitantem in fide, neque conscientiae onere praegravatam, sed elevatam in excelsis, humilem in se, ab evagationibus alienam, charitate fervidam, devotione refertam, exorantem pro populo, Deum laudantem, iubilantem in spiritu, et suavitate quadam pii amoris super suum inixam dilectum, etc.*

Caeterum quemadmodum replentur gaudio et pace pro devota celebratione iustorum, illosque ut suos concives diligunt; ita proculdubio contra eos indignantur, qui sine sui probatione, cum ariditate cordis, et mentis dubietate Domini sui audent sacramenta contingere. Equidem a talium se avertunt consortio, ipsorumque orationes despiciunt, utpote Deo odibiles, ac sibimetipsis contrarios, etc. Ita Laur. Iustin. serm. de Euchar. longe elegantissimo ac piissimo.

Placet huc adscribere gravissima et sacerdotibus notatu dignissima verba Cardinalis Bellarm. Nam dum superiora Chrysost. verba de angelis, altare et sacerdotem celebrantem, stipantibus recitasset, haec mox subiungit.

Considerate iam quam triste, et deplorandum sit spectaculum, videre sacerdotem divina mysteria peragentem, angelorum choris undique septum, qui ad ea, quae ipse operatur, et loquitur, stupent, ac tremunt, et prae admiratione ingentes clamores excitant, et tamen sacerdos, in medio positus, totus frigidus, et quasi stupidus non attendit, quid agat, non intelligit, quid loquatur, et ita properat ad finem, ita signa involvit, ita verba praecipitat, quasi latrones post tergum haberet, et satis temporis ad fugiendum non esset; et tamen, ut dixi, non propterea singultum conscientiae patitur. Sic res sacrae contemnantur, sic Deus irridetur, sic ridendi materia haereticis datur. Clamamus in sacramento altaris Christum ipsum esse, et interim nonnulli ita se gerunt, ita ista sacramenta pertractant, quasi nihil minus verum esse putarent, et quasi Deum marmoreum, vel plumbeum haberemus, qui nihil sentiret, nihil videret, nihil audiret. Sed mihi credite, Deum omnipotentem, et vivum habemus, qui non dormit, nec irridetur; et omnia videt, omnia audit, omnia notat; et aliquando omnes suas iniurias ulciscetur, et irrisores suos ipse ridebit, cum eis repentinus venerit interitus. Ita Bellarmin. *Con.* 9. *Dom.* 4. *Adv.* quem imitatur Metezell. congr. Orat. *l.* 2. *de sacerd. c.* 13. Vide eundem *Con.* 5. *sup. Miss. est:* ubi perinde graviter perstringit sacerdotes, qui Sanctum Sanctorum, dum tremenda mysteria tractant, in ara praesentem, et multitudine angelorum stipatum non attendunt, et quasi eum non viderent, nec ab eo viderentur, incredibili festinatione, sine spiritu, sine affectu, sine timore et tremore sacra perficiunt. Repetit similia, *de Gem. Col. l.* 2. *c.* 5.

6. Exterior illa sacerdotis celebrantis maturitas, reverentia, et pia corporis

compositio, non tantum celebranti utilis et decora est, sed et fideles, in missa praesentes, aedificat, ac singulari eos pietatis sensu reficit. Ita Conc. Colon. An. 1536. *Tit.* 2. *cap.* 19.

Sic et Lud. de Ponte in vita P. Alvarez testatur, solitum illum facere sacrum, cum tanta modestia ac devotione, ut eam etiam in auditoribus excitaret.

Ibidem fatetur nonnemo permotum se ad amplectendum societatis institutum, quod patris illius devotionem, modestiam, gravitatem et tantam totius hominis compositionem in sacro missae officio, hebdomada sancta celebrato, vidisset. Vide in vita P. Balth. Alv. c. 6. §. 1.

At nunc saepenumero videmus sacratissima mysteria celebrari, (verba sunt Ant. Molinae) *tam modica gravitate et decore, sine modo, sine ceremonia, pronunciatione, ut eum, qui id intueatur penitus ex affectu, dolore concuti necesse sit. Certum quippe est, si gentilem mystam videremus litantem idolis ea celeritate, an levitate dicam, qua plures christiani sacerdotes offerunt Deo aeterno Unigenitum crucifixum, quibus non sannis iocisque exciperemus? Et quod lacrymas meretur, si nota ipsis essent sancta, quae in missa tam abiecte tractamus, nunquid certo nobis illuderent et ipsi? etc.* Ita P. Ant. Molina *Proem. ad lib. de instr. sacerd.* Addit ibidem, opifices melius callere artem suam, et accuratius ad amussim exercere, quam multos sacerdotum; et hanc esse calamitatem maximam, et plurium, vel cunctarum causam.

Qua maiestate magnum illum Basilium sacris mysteriis operari solitum credimus? cum etiam Valens Imperator Arianus templum hostili animo ingressus, ac Basilium sacrificio intentum con-

spicatus, vehementer terrefactus, et tantum non exanimatus sit. Sed verbis Nazianzeni rem istam, sane memoratu dignam, referre placet.

Postquam inquit, *intus fuit*, (Valens Imp.) *atque ipsius aures psalmorum cantu non secus ac tonitruo quodam personuerunt; plebisque pelagus vidit, omnemque ordinem, et concinnitatem, quae tam in sacrario, quam prope sacrarium erat, angelicam potius quam humanam, atque ipsum quidem* (Basilium) *ante populum recto corpore stantem, qualem scriptura Samuelem describit* (1. Reg. 7.) *nec corpore, nec oculis, nec animo, perinde ac si nihil novi contigisset, ullam in partem se moventem, sed Deo, ut ita dicam, et altari affixum, humanum quiddam passus est; atque oculorum vertigine ac tenebris totus impletur.* Et paulo post ostendit, illam Imperatoris perturbationem initio paucis notatam, tandem, cum rex ad donaria offerenda accessit, omnibus patuisse. *Ita enim*, inquit, *titubare coepit, ut nisi quispiam ex sacrarii ministris vacillantem supposita manu retinuisset, misere utique et luctuose prolapsurus fuerit. Nazian.* orat. 20. post. med.

7. Instante iam ipso communionis tempore totis viribus, et affectibus praepara te in occursum Dei tui. Verba illa: *Domine, non sum dignus;* cum intimo animi sensu pronuncia, humillime agnoscens indignitatem et vilitatem tuam.

8. Mox quasi audisses: *Ecce sponsus venit, exite obviam ei;* novo et ardenti cordis affectu teipsum excita. Pande adventanti sponso omnes sinus cordis tui. Omnes tum corporis, tum animi vires, facultates, sensus advoca, *a* ut omnes,

velut domestici tui, parati ad congratulationem et obsequium tanti hospitis iam ingressuri praesto sint; eumque intimis amoris officiis et reverentiae signis tecum excipiant. V. Christ. Mayer. *p.* 2. *c.* 5. §. 3.

a. Nimis indignum foret, sensus tunc alio vagari, intellectum tunc aliis intendere, voluntatem alibi occupari, memoriam aliud agitare, quam quomodo excipiant Deum authorem suum, ipsique famulentur. Huc servient piae et ignitae eiaculationes, seu aspirationes, non ore quidem, sed mente et internis suspiriis usurpandae. v. g. *Benedictus qui venit in nomine Domini. Unde hoc mihi, ut Dominus meus veniat ad me? Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto eius. Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen eius in idipsum. Dominus meus, et Deus meus. Dilectus meus mihi, et ego illi. Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, etc.* Haec et similia, praesertim excercitia fidei, spei, charitatis, resignationis etc. uti immediate ante, sic statim post sumptionem usui erunt; quorum sylvam congessit Philipp. Rovenius Archiepisc. Philipp. Vicar. Apost. Holland. *in Instit. christ. piet. l.* 2. *c.* 11. *pag.* 284. *et seqq.* Et nos selecta quaedam in Paradiso animae christ. *sect.* 5. *pag.* 314.

CAPUT VIII.

Recessus altaris, seu gratiarum actio post s. communionem.

1. Peracto sacrosancto missae sacrificio, non minori cura, quam ad antecedentem missae praeparationem requirebatur, quisque in omni silentio ac quiete *a* actionum, locutionum, sensuum ac cogitationum sese contineat, *b* per quartam *c* minimum, aut octavam saltem horae partem devote secum meditetur, et intenta cogitatione perpendat, quid egerit, et qua fide, qua devotione, quo fine, quo fructu hoc ipsum peregerit. Ita Octav. Frangip. *Episc. Tric. in Direct. Disc. Eccl. Colon. Tit. de div. off. n.* 85.

a. A sumpto cibo medici suadent quietem a negotiis et laboribus; motum, praesertim vehementiorem, damnant, ut noxium concoctioni, et qui cibos crudos expellat e ventriculo, vel saltem succos seu humores crudos cibi nondum bene mitificati et subacti in venas et habitum corporis rapiat. Hinc enim frustratur homo debito fine assumpti cibi, et fructu probi nutrimenti. V. Galen. *l. de cib. boni et mal. suc.* Et *l.* 2. *de sanit. etc.* Ita plane post hoc coeleste epulum, quies a distractionibus et negotiis est necessaria, ne cibus ille quasi crudus extrudatur ab anima, et nullum, vel non satis probum nobis nutrimentum praebeat.

b. Idem monet Thom. a Kemp. his verbis: *Oportet, ut non solum te praepares ad devotionem ante communionem, sed ut etiam solicite te*

conserves in ea post sacramenti perceptionem. Nec minor custodia post exigitur, quam devota praeparatio prius.

Nam bona postmodum custodia optima iterum est praeparatio, ad maiorem gratiam consequendam. Ex eo valde indispositus quis redditur, si statim fuerit nimis effussus ad exteriora. Ibid. *Cave ergo a multiloquio; mane in secreto; fruere Deo tuo; ipsum enim habes, quem totus mundus tibi nec dare nec auferre potest.* Lib. 4. de Imit. cap. 12.

c. Tobiam utrumque vide. En quam soliciti sunt, quid tam fido duci, et amico hospiti (angelo Raphaëli) grati rependant; sed cum angelum esse tandem deprehenderent, quem diu hominem putaverant; tanto Dei beneficio velut attoniti, illico procidunt in faciem; tres ipsas horas taciti profunda in contemplatione posuerunt. Tu vero non angelum, sed angelorum Dominum recepisti, vel potius ille te recepit et refecit corpore et sanguine suo; et pigebit tantillum temporis recolendo tanto beneficio dare?

2. Peracto sacrificio, aut communione puta dici tibi a Christo, ad cuius mensam assedisti: *Scitis quid fecerim vobis? a* quo vos honore dignatus sim, quali vos cibo, quo potu refecerim?

a. Ita Ioannes Avila celebris Hispaniae Ecclesiastes, apud Granat.

Utinam scirem, *inquit*, mi Domine, quid feceris mihi, utinam bilancem haberem minime fallacem, qua rem tantam pro merito librarem; vere fecisti mihi magna qui potens es. Fecisti me convivam coelestis mensae tuae. Certe non fecisti taliter omni nationi. Neque enim est

alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. Gran. *in vita Avilae mihi pag.* 828.

Quid ergo sic propere festinas, o sacerdos, a missa ad alia negotia, colloquia, etc. frivola subinde nec admodum seria, immemor Dei tui, a quo plus scientiae, commodi, honoris, felicitatis, delectationis, luminis et auxilii ad res bene gerendas, praesertim hoc ipso tempore percipere poteras, quam ab omnibus aliis creaturis? Taedione tibi est eius conversatio et colloquium, cuius deliciae sunt, esse cum filiis hominum? Quid si te invitasset amicus, et domo quidem reciperet, sed mox quasi pertaesus consortii, te relicto exiret per posticum ad alia colloquia, vel negotia, non dignatus te hospitem familiari colloquio, aut ullo benevolentiae et amoris officio, nonne is merito audiret inhumani et inurbani ingenii homo, nec ullo deinceps amicitiae commercio vel officio dignus haberetur?

Vide ergo, quid de teipso dicendum, qui Deum invitasti, et iam recepisti in domum tuam, (qualis vero, quantusque hic hospes est?) Tu vero, eo vix ingresso, mox subducis te, abiens ad colloquia, negotia, studia etc. nec curas cum eo paulisper conversari, vel ullum amoris et gratitudinis signum tam liberali et benevolo hospiti ostendere. Quid hoc est, nisi vilipendere hospitem, imo etiam graviter offendere, maxime cum ille veniat ad te, non ut reficiatur a te, sed ut reficiat te. Vide, ne, qui spernis, et ipse spernaris.

3. Missa vel communione peracta plurimum refert nosse uti eo tempore, quo apud nos demoratur Christus, et dulci hospitis quem excepimus, praesentia frui.

Neque enim tempus aliud ad tractanda salutis nostrae negotia opportunius aut magis idoneum, quam cum nobiscum, et intra nos habemus ipsum salutis authorem. Lud. de Ponte. *in medit.* 1. *p. med.* 35. Rodriq. 2. *p. tract.* 8. *c.* 7.

Nosse uti tempore seu occasione, magna putatur sapientia. Ita est; et quidem alias satis attenti sumus, ut non elabatur nobis occasio rei bene gerendae. Cum lucri alicuius aut commodi nostri opportunitas adest, non facile negligimus. Sed quanto potius id nobis hic curae erit, ut in tam praesenti occasione procurandae salutis non simus incurii? Itaque sapientis monitum audiamus: *Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te praetereat.* Eccl. 14.

Quisnam melior dies, o sacerdos, o christiane, quam ille, quo Dominus Deus tuus venit ad te, non vacuus, aut inanis, sed instructus bonorum thesauris, plenus donis et muneribus, modo teipsum per teporem et somnolentiam non defraudes.

Sanctae matris Teresae illud erat monitum: *Cum certi plane simus, Christum in nobis residere, donec naturalis calor accidentia panis non consumpserit, nulla ratione oblatam occasionem agendi cum Domino intime, ac familiariter amittere debemus; quin potius illi nos imis visceribus adhaerere, et cum eo miscere colloquia diu, amiceque, reiecta quacuncque alia cura ac cogitatione par est. Nam si eo tempore, quo mortalem agebat vitam, aegri atque languentes, a natura et arte destituti, contactu tantum vestimentorum eius recipiebant salutem, nequaquam dubitari potest, quin admiranda supra naturam effecturus sit, manens in nobis immortalis, dum-*

modo fides vigeat. Iam si peracta vix communione, rustice atque inurbane ab eo recedimus, convertimurque ad negotia, aut leves etiam occupationes repetimus, haud queri iure possumus, si in virtutum actione, et usu parum proficimus. Ita Ribera in eius vita, lib. 4. c. 12.

Praeclara quoque documenta P. Balth. Alvarez, post communionem observatu digna, et superioribus pene similia, vide apud Lud. Ponte *in vita, c.* 6. §. 2. ubi inter caetera ait, quod multis pruriant pedes, ut statim discedant praetextu collocutionis, lectionis, etc. idque vocat phrenesin intolerabilem. Et, qui alio festinat, cum Deum domi suae habet hospitem, is ostendit, se alibi habere thesaurum, adeoque et cor seu desiderium, quam in Deo suo. Et, cui cum illo manere taedium est, nescit se Deum, totumque bonum suum habere, a quo plus discere et ditescere posset, quam ab ulla re creata. Sed tu ipse vide *loco citato, si lubet.*

4. Viva fide Christum Dominum, quem reipsa praesentem habes, ante oculos mentis tuae constitue. Actus humilitatis, reverentiae, amoris, gratitudinis, ac divinae laudis exerce, *a.* Et quidquid potes *b* obsequii defer summo Regi gloriae, qui ad te vermem terrae venire dignatus est. Ita Rodriq. Ponte. de Paz, *et alii.*

a. Tunc ergo (ait Marchantius) * ferventius usurpandae aspirationes sacrae, orationes iaculatoriae e cordis fundo prodeuntes, amplexus intimi animae sponsum complectensis, gratiarum actio cordialis, admiratio cum stupore tantae bonitatis et divinitatis, se tam admirabili, amabilique modo communicantis, oblatio pura totius mentis in manus Dei, totiusque

vitae ac voluntatis resignatio perfecta, omnium creaturarum, visibilium et invisibilium, ad Dei laudem invitatio. Haec nimirum affectuum piorum multiplex expressio est illud vinum conditum et mustum malo granatorum suavissimum, quod sponsa dilecto, in secretum cubiculi introducto, propinare promittit. Huc servient illae piae et amorosae aspirationes, de quibus *in fine cap. praeced.* * *In Candel. myst.*

b. Maior enim est omni laude, nec laudare sufficis. Tres illi pueri apud Danielem, cum in medio ignis viderent, se Dei ope servari incolumes, adeo in eius laudem exarserunt, ut nullam usquam seu in coelo, seu in terra, seu in mari creaturam relinquerent, quam non provocarent ad Deum laudandum, dicentes una voce: *Benedicite omnia opera Domini Domino, etc.* Quanto potius id nos faciemus, quippe qui recepimus eum, per quem a morte et aeterni ignis incendio salvati et liberati sumus.

5. Offer teipsum totum, quantus es, corpore et anima, cum omnibus viribus in Dei cultum, obsequium et beneplacitum, statum quoque sacerdotii, ad quem te, licet indignissimum, vocare dignatus est, tot aliis multo dignioribus praeteritis. Age pro eo, caeterisque huc collatis donis et beneficiis ex totis cordis visceribus gratias. Propone et promitte serio, his omnibus te ad unius Dei gloriam velle niti et uti, quantum ipsius gratia licuerit.

Et hunc in finem concipe bona proposita, et vota, quibus obstrictus es, renova, dicens: placet, Domine, quod promisi, gaudeo de voca-

tione mea. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam,* quoad vixero; *et nomen Domini* constanter et fiducialiter *invocabo*, omnibus diebus vitae meae: *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*, nempe qui sacro illius ministerio consecrati, perseveranter servierunt illi in sanctitate et iustitia omnibus diebus vitae suae.

6. Optima *a* et gratissima *b* Deo gratiarum actio, offerre ipsi vice gratitudinis, actum aliquem heroicum virtutis tibi magis necessariae; vel, quod idem est, seriam mortificationem malorum affectuum, et praecipue defectus seu vitii alicuius particularis, quo te nosti saepius impingere, et impediri in te profectum divini amoris, et solidae virtutis progressum. Ita Rodriq. 2. *p. tr.* 8. *c.* 12. pie et eleganter, quem, rogo, consulas. Ponte *in med. tom.* 1. *med.* 35. *p.* 3.

a. Nam, ut tradit ibidem *Rodriq.* aliae gratiarum actiones consistunt fere in affectuosis considerationibus, quae licet piae et bonae sint, meliora tamen longe sunt opera. Itaque et M. Avila, rerum spiritualium scientissimus, censebat optimam communicantium dispositionem esse, bonam et sanctam vitam; si nempe recte vivendi modum, in exercendis virtutibus et extirpandis vitiis intuitu sacrae communionis serio ac diligenter observare studeant. Quorsum enim certis ante et post communionem occupare exercitiis, et nihilominus aeque manere tepidum, immortificatum, languidum, ac fueras

pridem? Totus sacrae communionis fructus est melioris vitae profectus. Inspice ergo conscientiam tuam, et ex vitiis, quae ibi deprehendis, et quibus saepius offendis, aliquid selige quotidie, quod Christo, qui pro te seipsum dedit in mortem, et nunc in cibum, vicissim in sacrificium offeras. V. g. *ait Rodriq.* si nimius deliciarum sectator sis, si corporis commoditates studiosius captes, offer Domino propositum, in eo te isto die mortificandi, etc. Hoc modo si communicaremus, *ait,* singulis vicibus, aliqua in re, quantum libet minuta, nos mortificando, et defectum aliquem corrigendo, quantum, Deus bone, anima nostra proficeret!

Haec potissima et gratissima Deo gratiarum actio, vitae nostrae emendatio. Quid aliud requirit Deus a nobis, et quid aliud retribuemus ei pro tanto beneficio, illi, inquam, qui bonorum nostrorum non eget, quam ut corrigamus hoc in moribus nostris, quod ipsi displicet, et adversatur eius in nos amori? Haec fere Rodriq. *l. c.* quem ipse, velim, legas.

b. Hoc nimirum est, pro hostia nobis oblata vicissim se hostiam Deo mactare, et iuxta Apostolum, *exhibere corpus suum hostiam viventem, sanctam, Deo placentem; et mortificationem Iesu Christi in suo corpore circumferre.*

7. Cum hospes Christus Dominus susceptus est; tunc amantissima cum eo instituenda colloquia; tunc opportunum est defectus suos deplorare, miserias et aerumnas suas omnes novo hospiti exponere, auxilium ad agenda et perferenda omnia implorare. Tracta, mi christiane, cum Domino tuo familiarissime omnia negotia tua, velut cum amicorum tuorum

optimo. Ita Drexelius *in Rosis B. V.* *p. 2. c. 7.*

His pro coronide libet adtexere, quae habet *in direct. Disc. Eccles. Oct. Frangip. Episc. Tricar.* quia ad sacerdotes huius nostrae dioeceseos praecipue directa sunt.

8. Sacerdos, peracto sacrificio, omne imperfectum suum, omnem animi sui languorem, coecitatem, vincula, ac colligationes vanitatis, malas ac inolitas consuetudines, peccandique pericula, et necessitates, sibi ante oculos suos ponat, et cor suum omneque desiderium coram Deo effundat; eiusque adiutricem gratiam suppliciter imploret; et virtute ac fervore illius cibi, quo refectus et animatus est, tota voluntate animique contentione, vel unum saltem defectum in proximi sacrificii diem expugnandum extirpandumque suscipiat. Frangip. Episc. Tricar. *in Direct. Discipl. Eccl. tit. de div. off. n.* 85.

Utque quotidie (addit ibidem) *de virtute in virtutem progrediatur ac proficiat, quotidie ex vita ac passione Domini nostri Iesu Christi certam alicuius virtutis actionem omnibus animi viribus imitandam atque exercendam capiat.*

Nam quod sacerdotes multi quotidie aut frequenter sacrificent, pauci autem ex illis proficiant, et multi vani, omnique solida pietate vacui existant, non aliam arbitramur esse causam, quam quod sine ullo timore ac devotione tam sanctum opus aggrediantur, et perfunctorie atque ex quadam consuetudine, aut necessitate magis, quam ex sincera et viva pietate perficiant; et

mox una cum sacris vestibus NB. omnem rei peractae cogitationem deponant; omnemque internam et externam pietatis formam exuant, moxque ad negotia et colloquia, imo ad fabulas, ad vana et otiosa effundantur.

Quod sane non facerent, si meditationi sanctae debito modo aliquamdiu intenti fuissent, et illustriorem in se quotidie custodia exterioris et interioris hominis debere esse disciplinam sentirent. Ita Episcop. Tricar. Nunc. Apost. in Direct. Discipl.

CAPUT IX.

Frequentatio sacrificii missae seu communionis.

1. Inter omnia exercitia vitae spiritualis nullum tam est excellens, divinum, efficax et securum ad summum bonum consequendum, et sanctissimam cum Deo unionem impetrandam, quam frequens et pia communio. Ita Lud. Gran. *tract. de Euch.* 1.

Adstipulatur Ph. Rovenius Archiep. Philipp. *in Instit. christ. piet. ubi ait,* hanc esse dignissimam et altissimam actionem, quam christianus possit praestare in mundo. Nam summa rationalis animae perfectio est UNIO hominis cum DEO per charitatem et contemplationem, quod nullibi dignius et perfectius fit, quam in usu sacramenti eucharistiae, per quam ipsum authorem gratiae Deum, qui charitas est, arctissime possidemus.

Hoc nosse, et diligenter advertere proderit,

ut non ignoremus cogitationes et technas diaboli V. Cyrill. *l.* 3. *in.* *Ioan.* 37. Nan.

2. Daemon infensissimus frequentis communionis hostis est. *a* Hinc ut fructibus eius nos spoliet, varia impedimenta *b* solet obiicere, quibus nos a tam sancto et salutari opere retrahat. Arias *de freq. comm. c.* 18. Molin. *Tract.* 7. *cap.* 1. Roven. *Instit. piet. lib.* 2. *c.* 12. Drexel. *Zodiaco sign.* 3.

Ita quoque Thom. de Kempis: *Inimicus sciens fructum et remedium maximum in sacra communione positum, omni modo et occasione nititur, fideles et devotos, quantum praevalet, retrahere et impedire.* l. 4. cap. 10.

a. Ecce malignum Pharaonis ingenium. Populus Israël ad sacrificium Deo immolandum in desertum abire parabat. Non ferens hoc impius Pharao, et divino honori invidens, has cogitationes molitur extinguere. Ergo populum operibus luti, laterum, palearum obruit, ut pressura laboris divini cultus curam procul extrudat.

Nempe in animo circa lutum et paleas (quid enim aliud sunt aurum, argentum, honores, voluptates, et terrena omnia?) nimis occupato, pietati et sanctis divinisque cogitationibus vix ullus locus est reliquus.

Sed et hic quoque Holophernis stratagema vide, qui ut Bethuliam subiugaret, canales, quibus aqua in civitatem derivabatur, abstulit. Ita princeps tenebrarum, ut animas expugnet, canales divinae gratiae, (inter quos praecipuus hoc sacramentum,) per quos Dei in nos gratia, et omne adversus hostes robur dimanat, obstruere, vel avertere nititur.

b. Inter ea sunt tot occupationes, curae, negotia, quae animum distrahunt, et a rebus spiritualibus alienum reddunt. Item angores, scrupuli, inquietudo, et perturbatio animi, et inprimis illa tepidorum, ne dicam, impiorum obloquia, frequentem communionem, idque pietatis quadam specie, arrodentia. Nempe mos pravorum est, virtutem, qua ipsi carent, in aliis carpere. Et hos quidem non divini, sed sui tantum honoris cura remordet; ut qui alienae pietatis et virtutis exemplum suam censent contumeliam, ita non Dei, sed sub Dei praetextu causam suam agunt, et suum dedecus aliorum reprehensione tegere conantur.

3. Uti Daemon eiusque satellites unice laborant, usum huius sacramenti aut tollere penitus, aut saltem impedire, ne sit frequentior: sic praelatorum, pastorum, praedicatorum, confessariorum etc. est, cultum et frequentationem eius omnibus modis promovere. V. Molinam. *Tr*. 7. *c*. 1.

Ubi fortior instat hostis impetus, ibi providi duces et generosi milites maiores opponunt vires, ibi magis solicite agi curant excubias. Et certe nimis indignum foret, minus animosos nos esse ad vim hostium repellendam, quam sunt illi audaces ad inferendam, et segniores esse Christi ministros ad propugnandum Domini sui honorem, et verborum illius veritatem, quam ministri sathanae ad utrumque impugnandum. Et tamen, heu, saepe videmus velociores esse pedes impiorum ad effundendum Christi sanguinem, quam servorum Christi ad eum vindicandum.

4. Signum praedestinationis, et nota filiorum Dei est frequens et pia com-

munio; zelus quoque et studium, eius cultum et frequentationem promovendi. Ita Drexel. *in Zodiaco sign.* 3. Sucquet. *lib.* 3. *viae vitae, c.* 18. Molin. *tr.* 7. *c.* 9. §. 2.

Nam gloria et vita beata, quid est aliud, quam esse cum Deo, et frui in coelis convivio sempiterno? Hinc illa: *Ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis. etc.* Et: *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.* Luc. 22 et 14.

At huius convivii figura est Ss. Sacramentum, et, ut canit ecclesia, in eo nobis futurae gloriae pignus datur. Quomodo ergo tandem separabitur a Christo, qui nunc gaudet eius in sacramento praesentis consortio? Quomodo tunc reipsa fraudabitur, qui nunc pignore tam frequens fruitur? Cyprianus certe affirmat, huius sacramenti usum principium esse in hac vita divinae fruitionis, qua postea in aeternum potiemur; ac proinde evidens signum damnationis esse, nullo illius affectu et desiderio duci. Nam talis iam in hac vita per propriam voluntatem incipit se a Deo disiungere; unde nec Deus iniuriam faciet, si eiusmodi hominem a se in aeternum seiungat.

5. Ingens utilitas et necessitas *a* sacramenti eucharistiae frequentem eius usum et susceptionem christianis omnibus merito commendare debet. *Ita passim authores in hac materia.*

a. Quemadmodum enim in corpore calor naturalis continuo arrodit et consumit humidum radicale, quod nisi a nutrimento continuo restauretur, tandem omnino consumptum homini necessario mortem adfert: ita plane in nobis animae robur ac vires ardor concupiscentiae, ad carnalia bona sollicitans, continuo con-

sumit, unde perpetua indiget virium restauratione, at hanc omnium potentissime praestat ei panis ille coelestis, qui dat vitam mundo.

Medicorum dogma est, ubi morbi causae permanentes sunt, ibi remedia quoque permanentia esse debere. Unde eos qui immoderato hepatis calore laborant, frigidioribus uti cibis, et calidis abstinere perpetuo iubent. At intra nos semper corruptae naturae morbus, peccati fomes, haeret; hinc in nobis omnis morbi, et ipsius mortis origo. At contra hunc morbum, in membris nostris late et periculose grassantem, remedium certissimum est frequens huius sacramenti usus, quod ad hoc praecipue ab ipso salutis nostrae medico et authore fuit institutum.

Sed Ambrosium audiamus. *Si, quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo merito semper accipere, quia semper pecco, et quia semper infirmus sum, debeo semper accipere medicinam.* L. 4. de sacram. c. 6. et refert. c. si quotiescunque de cons. dist. 2.

Paucis ista confirmat Thom. de Kemp. *Sancta communio retrahit a malo, et confortat in bono.*

Si modo tam negligens es et tepidus, quando communicas, aut celebras; quid fieret, si medelam non sumeres, et tam grande iuvamen non quaereres? lib. 4. c. 10.

Sed de his vide prolixius S. Thom. *opus.* 58. de sacram. alt. erudite pie et copiose disserentem *ser.* 21. *et quinque seqq.*

6. Circa frequentiam sacrae communionis una et certa praescribi nequit omnibus lex et regula, cum diversa sint hominum instituta, mores, ingenia, ita

ut, quod uni parum sit, alteri multum videri possit. Molin. *tr.* 8. *c.* 5.

Optimum, ut hac in re quisque a confessarii pii et docti consilio et arbitrio pendeat, captivans intellectum suum in obsequium humilitatis, nec dubitans, id Deo gratius sibique utilius fore, quod is iudicaverit, quem sibi quasi divinae voluntatis elegit interpretem, et cui animae suae curam commisit. Molin. *tr.* 7. *c.* 5. §. 1 *et* 4. Arias *de freq. comm. cap.* 21 *et* 22. Porro prudenter consideret confessarius adiuncta personarum et rerum; et si advertat, ex frequentia imminui reverentiam, et deflecti paulatim in aridam consuetudinem et tepiditatem, nonnihil restringat communicandi licentiam.

7. Optandum vehementer, ut quilibet christianus singulis dominicis, aut semel in hebdomade ad communionem accederet, et nemo, licet magnus peccator, ultra dies octo eam differret. Ita Molin. *tr.* 7. *c.* 6. §. 1.

Estque expressa sententia August. *Epist.* 118. *ad Ianuar. et lib. de eccles. dog. cap.* 53. Cassian. *Coll.* 23. *cap.* 21. Vide *infr.* §. 9.

Quotidie sacram communionem accipere nec laudo, nec reprehendo; omnibus tamen dominicis communicandum suadeo et hortor. Ita *lib. de eccl. dogm.* qui, etsi non putetur esse Augustini, est tamen vetusti authoris. Vide Madrid. *de freq. comm. cap.* 3. ubi B. Catharinae Senensis, se hac authoritate tuentis contra calumnias, meminit.

Etenim, ait Molin. *nulli neganda est communio, etiam maximo peccatori, qui ad hanc se volet componere; nec enim impedimento sunt gravissima peccata, nec relapsus, dummodo horum poeniteat, nec scelus sit continuum, neque consti-*

tutus sit in proxima occasione peccandi, a qua nolit recedere; nam haec verae poenitentiae adversantur.

Enim vero, pergit idem, *si accideret mihi peccator, innumeris gravissimisque sceleribus constrictus, quem intelligerem vera duci poenitentia, et propositum edisse vitae melioris; consulerem profecto, ut singulis dominicis communicaret. Quod si sabbato sequenti rediret, eodem, quo ante, pondere gravatus peccatorum, videremque, quod poeniteret eum cum proposito emendandi, magis hunc accenderem, sacramne communionem omitteret, et si iterum, iterumque sic reverteretur, ego nihilominus frequentandae communionis author essem.*

Ecce quo pii et religiosi viri pia liberalitas progreditur. Et ne putes, eam ratione destitui, notanda verba pietatis aeque ac veritatis plenissima.

Quod si quis, ait, *hanc nimiam esse putet indulgentiam, obsecro constituat talem ante pedes Salvatoris. Numquid veniam peccatis ex animo petentem recipiet Christus magna cum charitate et pietate? Huic similes esse eiusdem ministri studeamus. Quid sibi volunt verba Christi, cum Petro interroganti*: Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? *respondit:* Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. *Matt.* 18. Ita Molina. Tract. 7. c. 6. §. 1.

8. His, qui vitam sequuntur arctiorem, a gravioribus criminibus abstinent, venialia etiam declinare student, saluti suae diligentius incumbunt, concedi potest et debet bina in hebdomade communio. * Molin. *lib.* 6.

His vero, qui plus profecerunt, ait ibid. *qui*

orationi et piis exercitiis vacant, et rerum spiritualium studiosi sunt, non nimium erit, si tertio quoque die fruantur. Ita Molin. l. cit. §. 2.

* Addit idem. *Non referre, quamvis defectibus non careant, et aliquid propriae infirmitatis supersit, nec multum profecerint in virtutibus, modo ad id aspirent et conentur. Etenim,* ut Bonaventura dicit, *homo accedit ad Christum, non ut ipsum sanctificet, sed ut sanctificetur ab ipso, adeoque necesse non est, ut sit sanctus, aut in virtute perfectus, modo talis esse desideret.*

Haec ille author, quae omnia latius apud ipsum confirmata reperies.

9. Inanis praetextus est, rarae communioni indignitatem suam *a*, vel debitae dispositionis et devotionis inopiam *b*, vel notabilis profectus defectum *c* praetendere. Ita Molina. Rodriq. Arias, *l. cit.*

a. Nonne Christus ipse in carne conversans saepius cum indignis, id est, publicanis et peccatoribus agere dignatus est? per hoc etiam pharisaeis invisus, et calumniis obnoxius; quorum ille perversam mentem redarguens, respondit: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*, Matth. 9. Quin, *non veni,* ait, *vocare iustos, sed peccatores;* et iterum: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis....* O Domine, ecce et nos peccatores sumus, et tamen ad te venire audemus; tecum, imo te manducaturi accedimus; quia nos tam amanter invitas, et verbis dulcissimis trementes animas.

Adverte tamen, vocari *peccatores*, sed quos iam scelerum poeniteat, et qui parati sint resipiscere. Nam impoenitentes adeo non fert in mensa sua Christus, ut cum indignatione repellat, et eiici iubeat.

Mutet ergo vitam, *ait S. Augustinus,* qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam; ad iudicium accipiet vitam, et magis ex ipsa corrumpitur, quam sanetur; magis occiditur, quam vivificetur. S. August. *serm.* 1. *de temp. seu dom.* 1. *Adv. Sed de his sup. c.* 3. *et* 4. *satis.*

Porro his, qui se tanquam peccatores et indignos abstrahunt, egregie respondet Cassianus. *Nec tamen ex eo,* inquit, *debemus nos a Dominica communione suspendere, quia nos agnoscimus peccatores, sed ad eam magis ac magis propter animae medicinam ac purificationem spiritus avide festinandum. Verumtamen ea humilitate mentis ac fide, ut indignos nos participatione tantae gratiae iudicantes, remedia potius nostris vulneribus expetamus.*

Alioquin ne, anniversaria quidem digne est praesumenda communio; ut quidam faciunt, qui ita sacramentorum coelestium dignitatem, sanctificationem ac meritum metiuntur, ut aestiment, ea nonnisi sanctos atque immaculatos debere praesumere, et non potius ut sanctos mundosque nos sua participatione perficiant. Qui profecto maiorem arrogantiae praesumptionem, quam sibi declinare videntur, incurrunt, quia vel tunc, cum ea percipiunt, dignos se eius perceptione iudicant.

Multo enim iustius est, ut cum hac cordis humilitate, qua credimus et fatemur, illa sacrosancta mysteria nunquam pro merito nos posse contingere, singulis ea dominicis, ob remedium nostrarum aegritudinum praesumamus, quam vana persuasione cordis elati, vel post annum dignos eorum participio nos esse credamus. Ita Cass. coll. 23. cap. 21. ubi Annot. Alar. Gazaei Bened. vidisse proderit.

Ioan. Gerson, author sane gravis, sic quodam Tract. ait: *Qui propterea ad hoc sacramentum non accedit, quia tepidus est ac frigidus,*

similis est ei, qui diceret, ad ignem non accedo, quia frigidus sum; medicum non requiro, quia infirmus sum. Sacramenta medicinae sunt, etiamsi infirmus sis, accede; Christus ignis est, etiamsi frigidus sis, dummodo in mortali peccato non sis, accede. Nam saepe accedit homo ad eucharistiam frigidus et indevotus, et post illam fervidus et calescens invenitur. De praepar. ad Miss.

Pulcre Cyrill. Alex. *Ego igitur,* inquit, *probo me ipsum, et indignum invenio, et abstineo.* (Sic nempe introducit loquentem, qui se ut indignum subtrahit.) *Quando igitur* (respondet) *quicunque tu es, qui ista dicis, dignus eris? Nam si peccando indignus es, et peccare non desinis, expers omnino eris huius vivificae sanctificationis etc.* l. 4. in Ioan. c. 17.

Porro, ut paucis et perspicuis verbis explicetur, quae sit dignitas ad susceptionem sacramenti requisita, sciendum, dupliciter posse hic considerari dignitatem: *uno modo* cum proportione ad dignitatem eius, qui recipitur, et ad hanc parandam nulla diligentia, nec humana nec angelica, sufficit; quid enim est homo, aut ulla creatura, ut cum Deo comparetur? aut quae proportio finiti ad infinitum? unde nec ista requiritur. *Secundo* cum proportione ad vires et infirmitatem suscipientis; eaque rursum duplex est, una, ut faciat quis, quantum potest, curando in se ornatum virtutum, reverentiae, devotionis, etc. Sicuti pauper subditus regem suscipere quidem pro dignitate regia nequit, si tamen faciat quod potest, et quantum a suae conditionis hominibus praestari ullo modo in tali casu posset; digne regem suscepisse censebitur. Et hac quidem ratione pauci digne Christum recipiunt, rari enim, qui hic exerant ultimum potentiae. Altera itaque dignitas est, ut habeat saltem conscientiam ab

omni mortali peccato liberam, cum bona voluntate, et desiderio proficiendi. Et haec est omnino necessaria. Quamvis in hac acquiescere non debeat pius animus, sed ad secundam eniti, in qua, quo magis profecerit, eo dignior erit. Vide Molin. *tr.* 7. *c.* 5. §. 8. Madrid. *de freq. comm. cap.* 1.

b. Quid de devotionis defectu sentiendum, *vide supra c.* 5. *n.* 12.

c. Nam sciendum, effectus huius sacramenti non minus occultos, quam mirabiles esse, ut homo vix eos advertat. Unde augetur saepe gratia; sed augmentum non facile cadit sub oculos. Aemulatur enim gratia naturam, et pedetentim leniterque operatur; sic plantas crescere quidem non videmus, sed tandem advertimus crevisse; nos ipsos augeri statura non deprehendimus, auctos tamen esse videmus. Sic quamvis profectum in ipsa communione statim non sentiamus, suo tamen tempore sentiemus.

Quid quod profectus quoque censeri debet, non solum progredi, sed etiam non regredi, vel non graviter labi; sicut non minoris fit medicina morbum arcens, quam sanitatem promovens. * Vnde si crebro communicans videas te multo tempore lethalis culpae expertem vivere, iam non parum profecisti, qui vitam animae tamdiu conservasti.

Quod si etiam saepe communicans subinde cespitas, cogita, quoties et quam graviter caderes, si prorsus abstineres, aut rarius accederes. Vide Molin. *Tr.* 7. *c.* 5. §. 5. Et Rodriq. *Tr. c.* 13. ubi hoc diligenter notari iubet; utpote permagnae consolationi futurum iis, qui dum sacramenti huius fructus tam evidenter ac palpabiliter in se non deprehendunt, frequentiorem accessum timent. * (Nam Galen.

finem medicinae considerans, duas eius partes constituit, Hygienen, quae praesentem sanitatem tuetur, et ab imminentibus malis conservat, et Therapeuticen, quae sanitatem restituit, et corpus diversis remediis mutare docet.)

10. Vana et stulta persuasio, *a* spatio seu intervallo temporis metiri accessum vel usum sacrae communionis, quasi mora et dilatione huius sacramenti crescat reverentia, et frequentatione minuatur, adeoque liberiorem et securiorem accessum putare, qui rarior fuerit.

Vide Chrysost. *hom.* 5. *in* 1. *ad Tim.* Cyrill. Alex. *serm.* 28. *verb. Dom.* Ambr. *l.* 5. *de Sacr. c.* 4.

a. Et tamen ita multi se deludi sinunt; post octo dies timent, post mensem aut trimestre non timent repetere s. communionem. O praepostera pietas! Trepidant timore, ubi non est timor. Dicant mihi, quid hic mora temporis confert ad meliorem dispositionem? Siccine magis putatur aeger propinquus esse saluti, qui diutius fugit medicum, exspectatque, donec inveterescat malum? an debitor, qui sinit usuras usurarum excrescere, magis solvendo fit?

Sed Chrysostomum audiamus. *Hoc est, quod universa perturbat, quia non munditiam animi, sed intervalla temporis longioris meritum putas, summamque arbitraris reverentiam, si non saepe coelestem illam adeas mensam. etc.* Et post multa concludit: *Quid igitur hanc rem temporis intertervallo metiris? tempestivum accedendi tempus munditiae conscientiae facit. Similia habet alibi saepe. Vide* hom. 28. in Cor. et hom. 3. ad Eph. etc. Ex his per modum corollarii sequitur Aph. seq.

11. Optime ad proximam seu futuram communionem praeparatus accedet, qui praecedentis effectibus instructum animum attulerit: seu, quod idem est, una communio disponit ad alteram. Ita Gran. *Con.* 3. *in fest. Corp. Chr.* Mol. *tr.* 7. *c.* 5. §. 6.

Nam quoties hoc sacramentum debite recipis, toties nova gratia tibi confertur, vel augetur. At crescente gratia, simul crescit amor, reverentia, devotio, caeteraeque virtutes, quae ex gratia tanquam semine nascuntur. Et nonne illae sunt praecipuae dispositiones, quas ad digne communicandum requirimus? Qui ergo hisce fructibus, vi hodiernae communionis animum instructum habuerit, eumque velut adhuc calentem ad proximam communionem attulerit, nonne is tunc dignius meliusque dispositus accedet, quam si sine illis accederet? Porro quis illos fructus praeteritae communionis melius et certius conservat in futuram, an qui communionem differt in longum tempus, an qui citius repetit? Tu iam ipsus arbiter esto. Certe, quantam homini solicitudinem ad cautam sui custodiam frequens communio adferat, audi ex Drexel.

Sacrae communioni vere devotus, ait, *intra hebdomadem seipsum sic alloquitur: ante biduum aut triduum Christum hospitem suscepisti, et iam iterum tam incautus, tam petulans, tam effusus, tam lascivus eris? Hi mores huic hospiti probari non possunt. Vel de futuro agens: post bidum, ait ipse sibi, aut triduum Christum regem in domum tuam introduces, nec aliter te praeparas? Proba teipsum, et praepara, ne sumpturus pharmacum, reperias venenum, ne comesturus escam vitae, glutias bolum mortis.*

Drexel. in Rosis B. V. p. 2. c. 7. *Et hinc bene infertur seq. aph.*

12. Frequens communio seu celebratio iis plerumque odiosa est, qui illam sibi putant esse frenum licentiae et dissolutioris vitae, maluntque perniciosa libertate frui, id est, mundo et carni servire, quam Deo, et pluris faciunt praesentium rerum vitrum, quam aeternorum bonorum margaritum. Ita Gisb. Schevich. S. I. *lib.* 1. *de Eccl. vita c.* 105.

At o miseri! Dei servitus vera libertas est, Deo servire, regnare est; Christi iugum suave est, at durissima est servitus vitiorum; infelices nimium, qui hoc non sentiunt, et sub sentibus delicias esse computant. Eosdem pungit *Thom. de Kemp.*

Pro, dolor, quidam tepidi et dissoluti moras confitendi libenter arripiunt, et communionem sacram, vel celebrationem *idcirco differre cupiunt, ne ad maiorem sui custodiam se dare teneantur.*

13. Frequens communio, *a* non parit contemptum, nec minuit reverentiam, sed potius auget. *b* Ita Gran. Molina *tr.* 7. *cap.* 5. §. 6. Madrid. *de freq. comm. c.* 3.

a. Hoc multis paradoxon videbitur; nescio enim quae multorum mentes praeiudicata opinio teneat, quasi, quod vulgo dicitur: *familiaritas parit contemptum,* etiam hic locum habeat. At negamus habere.

Etso sit hoc inter homines, qui, cum variis defectibus obnoxii sint, in solitudine quidem

facile tegunt, et abscondunt suas morum labes; at vix ita cautum ac providum reperies, cuius naevos et vitia non prodat familiaritas, convictusque frequentior. Hinc fit, ut paulatim concepta de ipsis opinio decrescat; adeoque ex familiaritate nascatur contemptus, bonae matris mala soboles.

Iam vero secus in Deo sese res habet, cuius cum sint infinitae perfectiones, nos eas nostrae mentis augustia comprehendere nequimus, per contemplationem tamen et huius sacramenti usum proprius ad illarum cognitionem accedimus. Unde quo frequentius versamur cum Christo, eo plures in ipso potentiae, sapientiae, bonitatis, ac misericordiae thesauros ac beneficia nobis per ipsum collata cognoscimus; proindeque tantum hinc abest periculum contemptus, ut frequentior accessus nos altius provehat in hoc immensum divinae perfectionis et excellentiae pelagus, et sic in Dei amorem, cultum, devotionem, timorem magis magisque rapiamur.

14. Frequentia communionis ad sacerdotes praecipue spectat, qui ex officio sunt mediatores inter Deum et populum. *a* Unde et sanctius atque inculpatius eos vivere oportet; et minus quam caeteri implicari debent eiusmodi actionibus, quibus ob nimiam animi distractionem affectus eorum atque devotio tepescat erga hoc sacramentum. Ita Guil. Estius, vir doctiss. *in* 4. *sent. dist.* 12. *art.* 10.

a. Vide S. Thom. 3. *p. quaest.* 22. *art.* 1. *b.* Unde monet Rovenius Archiep. Philip. *Si sacerdotii gradum et officium in ecclesia habeas, stude quotidie missae sacrificium Deo offerre,*

nisi aliud infirmitas, vel alia rationabilis causa suadeat.

Ita ille *instit. piet. lib.* 2. *c.* 12. Et addit: *Ad hoc illos videri conductos per Christi fideles, qui propterea sacerdotibus honores, stipendia et beneficia conferunt, ut ab aliis saeculi curis liberi, pro ipsorum salute hoc acceptabile sacrificium Deo offerant; et quomodo melius pro benefactoribus et amicis satisfacere possunt? etc.* Sed haec uberius confirmabimus in seqq.

15. Cum oblatio sacrificii sit primaria functio sacerdotii, in eam prima sacerdotum cura debet incumbere. *a* Unde monentur, ita immunes se conservare a peccatis, ut quotidie apti sint sacrificio offerendo. *b* Neque digni sunt nomine et honore sacerdotii, *c* qui perraro divinum offerunt sacrificium. Ita Marchantius *in virga Aaron. Tr.* 3. *Lect.* 10.

a. Quam opificum quisque artem didicit, in hac se indies exercet, idque tam industrie et impigre, ut ferias oderint, et nisi certis diebus (festivis) ecclesiae praecepto cautum esset, vix ullum sibi sinerent effluere vacuum laboris et lucri diem.

Et cur piget, ne dicam pudet, nos, qui artem omnium dignissimam et utilissimam didicimus, in eius exercitio quotidie occupari? Et illi quidem nonnisi terrenum lucrantur panem, nos autem coelestem et divinum; illi domui suae et liberis suis, nos toti ecclesiae, triumphanti quidem gaudium et honorem, militanti commodum et opem praestamus.

b. S. Ambrosius illa verba orationis Dominicae: *Panem nostrum quotidianum,* sic explicat: *Iste panis vitae aeternae, qui animae nostrae sub-*

stantiam fulcit, panis quotidianus est. Accipe ergo quotidie, quod quotidie tibi prosit; sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui quotidie non meretur accipere, non merebitur post annum. Ita Ambros. l. 5. de sacram. cap. 4, et refertur in c. *non iste* de cons. dist. 2. *V. S. Thom.* 3. p. q. 80. art. 10. *ubi authorit. Patrum pulchre explicat.*

c. Nomen et officium sacerdotis haud merentur, aut certe utrumque male tuentur, qui immemores tam amplae potestatis suae, et ingrati gratiae sibi collatae, ea non curant frequentius uti, utpote qua tam eximium Deo cultum, sanctis honorem, proximis opem, defunctis solamen, peccatoribus remedium, sibi ipsis ingentem fructum adferre poterant; omnes vero simul defraudant, quoties non legitime impediti, sacrificium offerre negligunt. Sed libet his alium admovere stimulum, ex verbis notatu dignissimis, quae ex V. Beda refert Bonaventura. Et certe penitius inspecta; aculeo suo pungent animum sacerdotis, nisi qui forte Dei suique negligens, ad monita pietatis obduruit.

Cum sacerdos est absque peccato mortali, et in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, et non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit; tunc, quantum in ipso est, privat sanctam Trinitatem laude et gloria, angelos laetitia, in purgatorio existentes refrigerio, ecclesiam spirituali Christi beneficio, et seipsum medicina ac remedio contra quotidiana peccata et infirmitates.

Sic Bonav. ex Beda, *de praep. ad miss. c.* 5. Iam vide, quisquis es sacerdos, quam belle tuearis nomen et honorem tuum, qui tam le-

viter tot tantisque bonis te, et univervam ecclesiam defraudas. Memento ergo unctionis et functionis tuae, et vide, ad quid consecratus sis; nam oleum unctionis sacrae est super caput tuum, ut sacerdotio fungaris Domino Deo tuo, et laudem habeas in nomine ipsius, auditurus aliquando: *Euge serve bone et fidelis.* Nempe gratia Dei es id, quod es; sed vide, ne gratia eius in te vacua sit, veniens enim, cum usuris eam repetet.

* Ista damna neglectae celebrationis pie et eleganter explicat et illustrat Marchant. *Virga Aaron. Tr.* 3. *Lect.* 10.

16. Qui in sublimioribus et gravioribus ecclesiae dignitatibus, muneribus et officiis, ad aliorum regimen et animarum curam constituti sunt, *a* item qui pluribus et pinguioribus ecclesiae beneficiis *b* dotati, hos prae caeteris frequentius sacris altaribus adsistere, et Deo sacrificium offerre par est.

a. Magis quippe illi divino lumine, et gratiae coelestis influxu indigent, ut debite et fructuose muneri suo fungi valeant. Nam cibo omnes quidem opus habent, ii tamen pleniore et crebriore, qui graviores labores tolerant, velut operarii, agricolae, etc. Sic ille cibus animae omnibus quidem necessarius est, iis tamen potissimum, qui tam gravibus in ecclesia laboribus distinentur, ut magno egeant robore virium, ni deficere et succumbere velint.

At unde melius petent, quam ex pane illo coelesti, qui confirmat cor hominis. Nempe vesci debent cibo fortium, qui vocati sunt ad opera fortium. Imitentur ergo Moysen, qui in rebus dubiis et arduis recurrere solitus est ad

tabernaculum, et consulere Dominum; imitentur et B. Iob, qui paterna cura et charitate pro filiorum salute solicitus, hostias Deo semper immolabat. *Iob.* 1. Sic, inquam, ipsos, utpote Patres spirituales, sollicitos esse par est pro filiis, eosque in visceribus gerere, ac pro eorum salute hostiam illam propitiationis quotidie immolare. Illorum est, vota precesque aeterno et vivo Deo offerre pro redemptione animarum, pro spe salutis et incolumitatis suorum, miserias orphanorum, inopiam debilium, vota virginum, lamenta viduarum, necessitates et pericula omnium Deo praesentare; sunt quippe velut mediatores inter Deum et populum. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum.* Hebr. 5. 1.

Exempla sanctorum ecclesiae praesulum et praelatorum hic adferri possent, sed non permittit operis brevitas. Unum accipe, idque recentius.

Ferdinandus de Talavera, primus Archiepiscopus Granat. in aula regia gravissimis pro salute Reipub. negotiis distentus, et nihilominus quotidie ad altare sacram Deo victimam immolare solitus erat. Hic cum aliquando intelligeret ex Consalvo Mendoza, Card. et Archiepisc. Tolet. se ob quotidianum altaris accessum multorum peti calumniis, nempe quod tot negotiis tantisque curis pene obrutus, quotidie nihilominus aris adsisteret; respondit sane, ut decebat pium praesulem, cordate et graviter: Quam merito mihi hoc vitio detur, viderint aemuli; ego expertus novi, me tot tantisque negotiis nequaquam sufficere, nisi ope et gratia divina fulciar; at ubi eam certius et efficacius, quam in sacrosancta eucharistia quaeram, ubi ipsum

omnis gratiae et sapientiae fontem reperio? Praeclare refert Rodriq. *Tr.* 8. *c.* 16.

Nunc saepe videmus praesules et praelatos ecclesiae negotiorum mole premi, anxie consultare de rebus ad publicam salutem spectantibus, variis et dubiis distrahi consiliis; sed interim rarius aut nunquam adire tabernaculum ad consulendum Dominum, raro sacrificiis incumbere. Imo videmus, quod dolendum, et in conciliis * vetitum, sub ipsis divinis agitari capitula et consilia, et, cum damno divini cultus, ea, quae ad hominum res ac commoda spectant, procurari. Sed quem ex eo solidae utilitatis fructum sperabimus, quod cum iniuria divini cultus agitur? quid nobis boni adferent molitiones nostrae, quando is fraudatur honore, a quo profluit omne bonum? *Mortalium* quidem *cogitationes timidae, et incertae sunt omnes providentiae nostrae.* Sap. 9. Vere *nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt omnes, qui aedificant eam.* Ps. 126. Vereor, ne dum plus humanae prudentiae, quam divinae providentiae tribuimus, illa Dei apud prophetam censura nos perstringat: *Vae filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me, et ordiremini telam, et non per spiritum meum.* Isa. 30. * Conc. Colon. expresse iubet, *capitulorum conventus aut maturius, ante summam missam, aut statim post illam servari, ne ob illud divinum officium vel suspendatur, vel praecipitetur, vel denique ab ipsis canonicis negligatur. Debet enim,* inquit, *Dei causa omnibus aliis anteponi. Ita Concil.* Tit. de Metrop. c. 18. Concil. quoque 1. Prov. Mediol. sub Carolo Borrom. vetat canonicis, quo tempore divina officia celebrantur, habere capitula. *Tit. de minist. eccl. et off. divin.* Porro quae in capitulis tractanda, vide Conc. 2. Prov. Mediol. *Tit.* 2. *dec.* 13.

b. Nam hoc videtur exigere lex gratitutinis. Cum enim crescunt dona, etiam rationes crescunt donorum; at quorsum Deus eos pluribus ornari voluit donis et beneficiis, nisi ut magis eos sibi suoque cultui et servitio obstringeret?

At hodie, pro dolor, in pluribus contrarium videas, nempe plures, quo pluribus et pinguioribus beneficiis ac sacerdotiis gaudent, hoc rarius et segnius sacerdotes agere, et minorem divinae laudis et debitae gratitudinis curam gerere. Cum vices aut officii ratio postulat, tunc quidem sacrum tantisper ministerium obeunt, sed ita, ut gaudeant, cum expleverint, velut iam iugo et onere liberati, et denuo ad pristinos mores, saeculi negotia, et carnis curam, quasi laxatis habenis reversuri. Nam et genus libertatis aestimant, non teneri sacrificandi debito, et nonnisi, cum libet, missas celebrare. Sed, o quam parce hac libertate utuntur ad honorandum Deum, qui illos tam ample et liberaliter honoravit et dotavit!

Quam merito talibus improperet Deus: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me;* aut illud: *Quicunque glorificaverint me, glorificabo eos; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Nimirum hi sunt, qui de patrimonio Christi impinguati, incrassati, dilatati derelinquunt Deum factorem suum, immemores a quo, et in quem finem tam ampla bona et beneficia possideant. Utinam saperent et intelligerent se peccata populi comedere. O crudum ac durum nimis cibum, nisi ei concoquendo ignem holocausti et altaris frequenter adhibeant!

Iam vero videmus quotidianum celebrandi munus ad quosdam tenuioris fortunae, et inferioris notae sacerdotes relegatum, (non loquor de religiosis,) quibus indiem vivendum, quorum

omnis census et vectigal quotidiano sacrificio constat.

Siccine in palatiis regum ac principum primae nobilitatis ac dignitatis viri, quos rex prae ceteris voluerit honorare, in eo gaudent, vel id sibi honori ducunt, si raro regem adeant, si non nisi post longa temporum intervalla ad mensam regis assideant, aut vix in conspectum eius veniant? Infimos vero servorum, homines plebeios, rudes, panosos videant quotidie penetrare in intimum principis cubiculum, familiari eius frui colloquio, et ad mensam eius indies accumbere? Quam putamus hoc isti graviter ac moleste ferrent?

At hic adeo omnis abest aemulatio, ut magnorum nemo inferioribus quotidianum altaris (quod ipsa summi regis mensa, ipsum secretum cubile est) accessum invideat. Quin videre est, qui gratulentur sibi velut minus obligatis, et de quodam quasi privilegio et exemptionis iure blandiantur, et ab exiguo vel nullo missarum debito conditionis sortisque suae felicitatem aestiment. Sed mittamus ista, forte delicatis auribus molesta, et bonam illis mentem precemur, ut intelligant, tunc se vere honoratos esse, cum Deum honorant, tunc vere divites et beatos, cum possident illum, qui solus possidet omnia, extra hunc vana et falsa fore universa, quae sibi humana prudentia ad honorem et felicitatem fingit, quaeritque praesidia.

Sed video, quid mihi plerique istorum respondeant. Neque enim filiis adae desunt effugia et replicae ad excusandas excusationes in peccatis. Nimirum negotia et tot occupationum turbas praetendunt rarae celebrationi. Quibus nos reponimus seq. aph.

17. Piorum et Deum timentium sacer-

dotum est, sic nosse occupari, et negotia moderari, ut praecipua, magisque necessaria negotia non impediant.

Non iuberis otiosus esse, et cessare a negotiis, sed discrimen negotiorum nosse, et delectum habere. Non trade te negotiis, sed commoda; potioribus potiora studia, tempora et loca tribue; videbis, quam ad multa sufficias. Si negligis hoc monitum, vide, ne te quoque mi sacerdos, quisquis es, tangat, imo damnet parabola evangelii de invitatis ad coenam, sed negotiorum praetextu se excusantibus.

Esto ratione aliqua se tueri et excusare laici possint, sed nulla sacerdotes. Poterit dicere saecularis: uxorem duxi, familiae mihi cura incumbit, nequeo toties me expedire negotiis, et praeparare communioni. Alius dicet: operarius sum, et laborem manuum mearum manducare debeo, non vacat toties a laboribus feriari, quia de victu mihi prospectum non est. Mercator aliquis ex tot negotiis et animi curis excusationem quaeret, et forte aliquam inveniet. At sacerdoti quid horum suffragari poterit ad legitimam excusationem?

Qui inquam causari potes negotia, o sacerdos? Hoc tuum negotium est, servire et sacrificare Deo. Quid ergo turbaris erga plurima? Unum istud cura, cui te consecrasti, ordinem sacerdotii suscipiens, et per hoc unice deputatus divino cultui, altaris ministerio, sacrorum Dei mysteriorum dispensationi. Sacerdos es, ut sacra des, Deo quidem sacri cultus obsequia; hominibus salutis subsidia. Caetera omnia tibi aliena sunt, nisi quatenus huic fini serviunt; ideoque militans Deo, iuberis non implicari negotiis saecularibus, ut unum tuum negotium impleas.

Sic ergo *nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* 1. Cor. 4. 1. 2.

Quicunque defuerit negotio suo, intentus interim fuerit alieno, aut plane deditus otio, videat quem lacessat iniuria, cuius irritetur offensa, cuius timenda vindicta. Nonne illius, qui veniet positurus rationem cum servis suis, postquam talenta singulis ad negotium distribuit? Et servum quidem fidelem ac industrium praeconio ac praemio gratulabundus excipiet, ignavum vero ac otiosum gravi supplicio iratus afficiet.

Verum, esto, demus aliquid negotiosis et occupatis. Sed an tu occupatior Ambrosio, qui (qui teste Paulino *in vita,*) *palam omnibus eum alloqui cupientibus propositus erat? Nullus ingredi a ianitoribus vetebatur, imo nec adventum alicuius sibi voluit nunciari, omnes ad se venientes benigne excipere, uniuscuiusque audire negotia, commodis et opportunitatibus omnium inservire, singulorum levare molestias, et perferre miserias et infirmitates consuevit.* * Porro hic sanctus praesul tam occupatus, in id unum nihilominus incumbebat, ut ait Baronius, *ut quas optimi sacerdotis partes et officia esse intelligebat, quam diligentissime praestaret. Quod vero potissimum erat, sacrosanctum missae sacrificium quotidie offerebat, idque non praepropere, sed summa diligentia adhibita, magna cum animi praeparatione, et praemeditatione sancti mysterii, quemadmodum declarant precationes illae sacrae, spirituali dulcedine plenissimae, quas ob eam causam sibi ad quotidianum usum conscripsit. Ita Baron.* in vita S. Ambr. quae operibus praefixa est. * *Vide S. August.* libr. 6. confess. cap. 3. Baron. *t.* 4. *Annal. an.* 375.

An tu quoque occupatior Carolo Borromaeo, pallii et spiritus eius haerede, ac eiusdem Mediolanensis Cathedrae successore? Nullum ille pastoralis officii munus praetermisit. Catechizando, concionando, visitando, sacramenta sanis, infirmis administrando indesinenter agebat partes fidelis episcopi. Amplissimam habebat dioecesin, et initio satis rudem et incultam; sed ostendit ipse, quid in pio pastore possit zelus et industria. Nam assiduus ipse et indefessus in specula et cura sui gregis hoc effecit, ut dioecesis illa terrestris quidam paradisus videretur, (uti habet Cornel. *Prov.* 9. *v.* 3.) et efflorescens populi pietas, et cleri disciplina sedulam pastoris sui curam et culturam omnibus testatam faceret. Et ille tamen singulis etiam diebus rem divinam faciebat, idque non perfunctorie, sed intima cordis compunctione, et saepe cum lacrymis. Vide scriptorem vitae, *lib.* 6. *c.* 4. *et* 5.

B. Laurentius Iustin. Patriarcha Venetus a quo die factus est sacerdos, non intermisit celebrare missam, nisi ob valetudinem. Et solebat dicere, qui, cum posset Domino suo frui, non frueretur, facile ostendere, se Domini sui curam non habere. *Apud Surium* 8. *Ian.*

De Cassio Narniensis urbis Episcopo vide S. Gregor. *hom.* 37. *in evangel.* Et *Dialog. l.* 4. *c.* 66. ubi inter laudes hoc praecipuum ponit, quod quotidianum Deo sacrificium offerre consueverat, addens quanti animi praeparatione id ab eo factum fuerit. Sed nunc pro coronide hunc accipe aphor.

18. In communione et celebratione ita laudamus frequentiam, ut simul requiramus reverentiam, et amorem una cum timore iungi velimus. Melior tamen

et utilior statuique nostro congruentior est affectus amoris quam timoris, praestatque ex illo accedere, quam per hunc abstinere. Ita S. Thom. 3. *p. q.* 80. *art.* 10. Estius *in* 4. *sent. dist.* 12. *art.* 10. Bonav. *in fasc. cap.* 5. *et de proc. relig. cap.* 21. Molin. *Inst. sac. tr.* 7. Gran. *Mem.* 12.

Laudatur Zachaeus, qui festinans et gaudens Dominum suscepit in domum suam. Laudatur quoque centurio, qui propriae infirmitatis conscius, non est ausus Dominum admittere, dicens : *Domine non sum dignus;* ibi amor, hic timor praevaluit. *Unum tamen est*, ait Bonaventura, *quod omnibus tutum videtur, ut scilicet ex reverentia timentes, spem et desiderium non relinquamus, et ut ex spe et fiducia non amittamus timorem et reverentiam, sed semper inter haec utraque confidentes et timidi fluctuemus. Simpliciter tamen loquendo, dubium non est, quin melior sit affectus amoris, quam timoris.* Ita Bonav. in fasc. c. 5.

De utriusque affectus commixtione, et quasi concertatione pulchre Thom. de Kemp. *lib.* 4. *de imit. cap.* 1. *et alibi;* sed melliflue prorsus S. Bern. serm. *de S. Mar. Magd. et ser.* 6. *in Cant.* quin et Gerson suavissime.

Interrogo me, inquit, *si dignus sim accedere ad Dominum, si sufficienter praeparatus; haesito primum, tremisco, reformido; tandem sic respondeo mihi ipsi : interim quantum in me est, nihil Deo propitio mihi conscius sum super peccato mortali aut peccandi proposito; peccata autem venialia, etiam non confessa, nequaquam obsistunt. Scio quod apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemp-*

tio, quod pietatis eius fontem nulla potest nostra iniquitas evincere vel siccare, quod si decreverit salvare, nemo est qui condemnet. Ipse praecepit, ut sperem in eo, et me totum in suas manus proiiciam, obedio ut possum, non est crudelis aut mendax, venientem ad se non eiiciet, provolutum suis pedibus non indignanter abiicit, sed praeveniet me in benedictionibus dulcedinis dum mihi displiceo.

O anima mea! fornicata es cum amatoribus multis, pius sponsus iubet per os propheticum ut revertaris, modo etiam te suscipiet; si millies abscesseris, contempseris, irriseris, te venientem non repudiabit, poenitentem non aspernabitur. Si quis ex hominibus talia diceret, crederes, confideres et accederes; Deus ipsa hoc dicit, Deus hoc pollicetur, imo Deus hoc imperat, et tu diffidens non accedes? Igitur in sua veritate, non in tua vanitate confidens, voluntarie illi sacrifica.

Immunda es? accede mundanda ad fontem puritatis incontaminabilem; esuris? accede pascenda ad panem vivificum et indefectibilem; aegrotas? erit hoc tuae infirmitatis efficacissimum argumentum; fluxum sanguinis pateris, nec sanari potes a medicis, hoc est, a tuis exercitiis? tange plena fide cum muliere hemorrhoissa fimbriam vestimenti Iesu, sacrosanctam videlicet hostiam, et statim sanaberis; si percussam te sentis a serpentibus perversarum tentationum, quid restat, nisi ut serpentem (Christum) elevatum inspicias?

Si dicis cum propheta: Quoniam unicus et pauper sum ego, *particeps esto sacrosancti huius mysterii, habebis Christum comitem fidum et hospitem ditissimum; coecam fortassis, debilem et claudam conquereris? memineris, quoniam tales ad coenam magni regis non solum invitantur,*

sed etiam trahuntur, et intrare compelluntur; lubrica sum, inquis, et instabilis, ecce hic panis cor hominis confirmat; *tristis es et anxia? ecce vinum quod laetificat cor hominis; inquietant te, et turbant plurima? adhaere ei, qui tumentes fluctus sedat, qui est pax nostra, ipse enim ait: in mundo quidem pressuram, in me autem pacem habebitis; peregrinaris a Domino? in fortitudine cibi illius ambulabis usque ad montem Dei.*

Quid ergo tandem formidas? quid expavescis o anima mea, et quare conturbas me? spera in Deo, et confitere illi, quoniam ipse est salutare tuum; suspirabunda forte quaeris, ubi est Deus tuus? in hoc certe convivio, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur. Ita Gerson. de praep. ad miss. cons. 9.

CAPUT X.

Effectus sacrificii missae et communionis.

Post communionem, inquit S. Bonaventura, *si non sentis aliquam spritualem refectionem, signum est spiritualis infirmitatis, vel mortis. Ignem posuisti in sinu, et non sentis calorem, mel in ore, et non sentis dulcedinem.* De praep. ad miss. cap. 14.

Itaque effectus sacrae communionis breviter indicabimus, ut suum quisque profectus his inspectis melius possit discutere.

1. Divinum hoc sacramentum dimittit peccata praeteria, *a* et a futuris praeservat, *b* passiones refrenat, *c* tentationes

minuit, ardorem concupiscentiae reprimit, devotionem excitat, fidem illuminat, confirmat spem, accendit charitatem, corroborat nostram debilitatem, restaurat vires, exhilarat conscientiam, facit hominem participem omnium meritorum Christi, unit eum cum Deo, denique arrham dat aeternae vitae. Ita Gran. *lib.* 3. *Memor. c.* 4.

a. Vide S. Thom. 3. *p. q.* 79. ubi horum effectuum explicationem late et clare persequitur. Ex Ascet. vide Rodriq. 2. *p. tr.* 8. *c.* 9. *et seqq.* Gran. *l. c. et cap.* 9.

b. Unde Chrysostomus ait, nos ab hac mensa recedere tanquam leones ignem spirantes, terribiles diabolo effectos. *Hom.* 61. *ad pop. et* 45. *in Ioan.* Vide Conc. Trid. *sess.* 3. *c.* 2.

c. S. Bern. *Si quis vestrum,* inquit, *non tam saepe modo, nec tam acerbos sentit motus iracundiae, invidiae, luxuriae, aut ceterorum huiusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo.*

Duo enim praecipue operatur in nobis: et sensum minuit in minimis, et in gravioribus peccatis impedit omnino consensum. Qui vulnus habet, medicinam requirit; vulnus habemus, dum sub peccato sumus, medicina optima est sacramentum. Quotidie accipe, quotidie curaberis. Serm. in Coena Dom.

Non vacat singula latius persequi. Unum restare video quaestione dignum, et praesertim sacerdotibus considerandum. Cum tam multi et mirabiles sint sacrae communionis effectus, cur tam pauci et tenues, vel nulli apparent in plurimis communicantium, vel toties celebrantium?

Hanc quaestionem movent Gran. *memor. lib.* 3. *cap.* 11. Rodriq. *tr.* 8. *c.* 13. Molin. *tr.* 4. *c.* 1.

Numquid ex theologiae doctrina constat, sacramenta, quotiescumque legitime recipiuntur, novum semper gratiae et charitatis augmentum producere? Ubi est ergo in multis sacerdotum, toties et pene quotidie celebrantium, profectus virtutis, charitatis, humilitatis, patientiae, abstinentiae? etc. ubi ille meritorum cumulus? ubi illa copiosa messis, quae tam largae sementi respondeat? ubi illa opum abundantia, quae tam quaestuosae negotiationi par sit? ubi illa saturitas et corroboratio virium, quae a tam excellenti cibo praestari debuit? ubi illa inebriatio spiritus, quae vinum tam generosum et nobile decuit?

O quam multi semiant multum, et inferunt parum, comedunt, et non saturantur, coopetiunt se, et non calefiunt, et quidquid opum colligunt, mittunt in sacculum pertusum.

Ponite ergo, o sacerdotes, corda vestra super vias vestras, et videte, ne toties in vacuum gratiam Dei, imo ipsum gratiae authorem, Deum recipiatis.

Porro ad resolutionem dubii propositi seqq. aph. accipe.

2. Causa, cur hoc sacramentum nullos, vel exiguos operetur effectus, est debitae dispositionis in recipiente defectus, praesertim in expurganda conscientia, non solum a peccatis mortiferis, sed et culpis venialibus, et quibuslibet affectibus inordinatis ad res terrenas, seu carnis illecebras et delectationes. V. Gran. *memor. lib.* 3. *c.* 2. Molin. *tr.* 4. *c.* 1. Rodriq. *tr.* 8. *cap.* 13.

Nam constat ex philosophorum sententia, cuius etiam supra meminimus, causas operari secundum obiecti dispositionem. Unde sicut sol, aër et aqua plantas, dum adhuc vivas in terra radices habent, virides ac floridas reddunt, at evulsa et emortua radice, eaedem causae illas magis exsiccant et putrefaciunt: sic sanctissimum Sacramentum animas vivas, et per charitatem in Deo radicatas, crescere magis ac florere facit; at vero animae, corrupta charitatis radice mortuae, magis per illud exsiccantur, et fiunt quotidie seipsis peiores.

Cibus corporeus sana corpora probe nutrit, auget, magisque corroborat; at corpora impura, quo magis nutris, eo magis laedis, unde talibus tenuis victus, et exacta diaeta praescribi solet. Nam repletione humorum laborantibus, etiam salutares cibi nihil proficiunt, sed potius cacochymiam augent. Ita hic cibus, quem peccatis gravatum invenit, adeo non corroborat, ut magis corrumpat, non sui natura, sed accipientis vitio. Vide S. Chrysost. *hom.* 27. *in* 1. *ad Corinth.* ubi hoc simili utitur.

Specialiter vero obstaculum gustui huius sacramenti ponunt, ait Gran. *qui conversi ad hominum saecularium commercia, risibus, nugis, vanitatibus et inutilibus negotiis vacant. Omnia enim haec male praeparant lectum coelestis illius sponsi. Amor Dei res est nobilissima ac delicatissima, non admittit corrivalem, sed solus integram cordis humani possessionem postulat.* Ita ille. *Mem. lib.* 3. *c.* 11. *Nempe delicata est consolatio divina,* ait Bern. *nec datur admittentibus alienam.* Et iterum: *Praeoccupatum saecularibus desideriis animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vera vanis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias quae sursum sunt, et quae super terram.* Serm. 6. de Ascens.

Sed audiamus Cardinalem Bellarminum, graviter alicubi * sacerdotes, ex frequentatione Ss. mysterii tam parum proficientes, admirantem et deplorantem. * *Conc.* 18.

Undenam fieri censetis, ut qui coelestia sacramenta frequentant, adhuc tamen saepe frigidi, torpentes, infirmi et imbecilles maneant? Certe Dominus, quem in sacramento illo vere suscipimus, ignis consumens *est,* lux mundi *est, cibus exquitissimus est.* Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus.

Cur igitur, qui ignem tam frequenter sumimus, non ardemus? cur alios non inflammamus? cur verba nostra scintillae ignis non sunt? cur, qui lucem ipsam accipimus, non fulgemus? cur orbem totum non illustramus? cur vita, mores et opera nostra radii quidam lucis non sunt? cur, qui cibo tam exquisito vescimur, et ex ipso frumenti adipe *satiamur, non pinguescimus, non roboramur?*

Non alia profecto huius rei causa est, quam quod non diligenter antea pedes nostros abluimus, neque vulnera peccatorum summo studio et solicitudine, ut par esset, curamus. Ad confessionem accedimus quidem, sed sine dolore, sine proposito emendationis, medicorum consiliis non acquiescimus, peccandi occasiones non evitamus. Et quid illa confessio? Quid prodest aegro, quod peritissimus medicus illum invisat, et pharmacum saluberrimum sumendum, et a certis rebus abstinendum admoneat, si nihil eorum postea aeger faciat, et consilio suo, non medicorum, vivat?

3. Defectus praeparationis, quae consistit in procuranda actuali devotione, inter praecipuas causas censeri debet, cur hoc sacramentum debitis suis effectibus careat. Vide Gran. *Memor. l.* 3.

cap. 4. 5. et 6. ubi eleganter de hac materia.

Testantur medici, cibum bene masticatum in ore, et dentibus probe contritum, et palato suaviorem esse, et minus negotii facessere ventriculo, utpote iam chylo simillimum, adeoque facilius concoqui, et melius alere corpus. Ita quoque cibus eucharisticus, cum dente considerationis masticatur, gratior fit et utilior; at qui illum non probe masticatum ingluvie quadam in stomachum debilem et languidum traiiciunt, illius et gustu fraudantur et fructu.

4. Incuria debitae intentionis, exigui profectus ex hoc sacramento non minima causa est. *Vide sup. cap.* 6.

Non mirum, si scopum non feriat, qui istuc non collimat, sed in aërem potius, vel in incertum iacit sagittam. Ita nec mirandum, si fructus huius sacramenti non percipiat, qui hoc fine non accedit. Cave sacerdos et communicans, ne obiter, et quasi aliud agens huc venias, ne sis, quasi currens in incertum, vel aërem verberans. *V. sup. c.* 6.

In uno manna olim sapor erat varius, pro cuiusque palato et desiderio. Ita etiam eucharistia saporem dabit, quem quaerimus. At si non quaerimus inde proficere, corroborari contra tentationes, Christo uniri etc. quid mirum, si nihil eorum percipimus?

Sed libet pii et religiosi viri verbis uti, ut nostros ipsi nevos et defectus proprius videamus. Nam sacerdotes, circa praecedentia incurios, ita perstringit Gran. *in Memor.*

In quo nonnullorum sacerdotum valde reprehendenda est audacia, qui nihil horum facientes, quocunque loco sunt, surgunt, et ad altare ac-

cedunt fabulantes, ridentes, occupati, secularibusque negotiis distracti, ita, ut qua securitate atque incuria eunt ad comedendum panem materialem, eadem accedant mensam Domini, ut sumant panem angelorum, quae sane valde magna abominatio est.

Atque haec est causa, cur post tot annos, quibus hac medicina utuntur, tam parum ipsius usu adiuti esse deprehenduntur; alioquin si quoties missam celebrarunt, recepissent notabile aliquod gratiae augmentum, certum est, quod qui viginti annis celebrarunt, ingentem gratiarum thesaurum iam collegissent, quod sane sic se habere non existimo, cum iidem sint, qui antea fuerunt, aeque sensuales et indevoti, imo nonnunquam facti peiores. Ita Gran. Mem. l. 3. c. 5. Addit:

Quid igitur formidandum magis est, quam quotidie fontem gratiarum, et mensam angelorum accedere, quotidie officinam omnis medicinae adire, et post tot annos aeque sitibundum, famelicum, debilem et infirmum inveniri?

Sed haec pauca nunc sufficiant; si quis uberiora velit, non deerunt, praesertim apud authores passim hic citatos et laudatos. Scripsit praeterea recenter P. Ioan. Perlinus Madriten. Soc. Iesu, Theol. D. Colon. eruditum opus *de Ss. Eucharistia*, ubi etiam singulariter agit de frequentia Ss. communionis. Ioan. Maubur. *in Roseto Exerc. spir.* plurima et pia habet exercitia in usum communicantium.

Crebriores hic similitudines ex medicina petitas adduximus, ne mirere. Et S. Patribus hoc perquam familiare, ut ait Nigron. *in Reg.* 43. *n.* 3. Sed et similitudo ac analogia corporalis et huius spiritualis, seu cibi, seu medicinae idem suasit. Denique memento, nos Aphorismos scribere, qui nescio quid medicum spirant ac redolent.

BEATI LAURENTII IUSTINI I.

PATRIARCHAE VENETI

COHORTATIO AD SACERDOTES.

Sermo de Eucharistia.

Quamobrem sectemini vos, o milites Christi, et praecipue coelestium sacramentorum ministri, humilitatem, reseceturque in vobis per vos omnis ascendendi ambitio. Vestro intendite ministerio cum pietate devotionis, et humilitate cordis. Nullam prorsus maiorem valetis acquirere dignitatem, quam corporis et sanguinis Domini tractare sacramenta. Hoc vobis satis sit, (etiam si honoris gradum atque transeuntis gloriae culmen appetitis,) quod reliquis praeeminet dignitatibus. Pervigil tantum circa mysterium hoc studium adhibete, atque pro viribus laborate, ut mysteriorum Dei idonei dispensatores sitis.

Ex hoc utique duplici honore habemini digni, praesente videlicet, et futuro. Honorabunt vos populi, vestros observabunt mores, imitabuntur vitam, temporaliaque stipendia erogabunt tanquam patribus suis, animarum rectoribus, intercessoribus mundi, et Altissimi sacerdotibus. Venerabuntur (inquam) vos angeli veluti Christi ministros, ecclesiarum duces, sanctorum cohaeredes, coelestisque regis praecones. Hi sunt

honores, qui sanctis sacerdotibus exhibentur, quorum haereditas temporalis et aeterna Christus est, dicente propheta: *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei, tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.* Ps. 15. 5.

Recta igitur adeptio terrenae dignitatis atque perpetuae est honoris fuga, contemptus temporalium, morum probitas, et aeternorum amor. In his quantumcunque profecerint sacerdotes, quamvis praecelsa polleant sanctitate, minime insolescant, quoniam presbyterii adhuc indigni sunt ministerio. Nam si ad hoc angelica inferiora sunt merita, quid aestimabuntur humana? Transcendit, quidquid est, quidquid virtutis, quidquid sanctitatis, non capit sensus, non scrutatur ratio, mens non attingit humana, quomodo Deus et homo Christus Iesus sub panis et vini speciebus sacerdotum attrectetur manibus, et corporali haustu altaris percipiatur in mensa. Nec immerito. Est namque hoc divinum opus notissimum futurae felicitatis indicium, ac divinae miserationis praesagium certum omni veneratione colendum. Aeque in altaris sede, quemadmodum in coelo, colitur Deus, quamvis aliter. Hinc altaris sacri quanta sit dignitas, optime comprobatur, in quod praesentialiter descendit Deus, et in quo sacramenta coelestia consecrantur.

PRAXIS

pie celebrandi et communicandi, tum ante, tum post missam utilis, quae succum et summam ex omnibus exercitiis huc adhiberi solitis continet. Pro cuiusque vero devotione facile dilatari, et paucis mutatis, omnibus communicantibus aptari potest, sed non tam vocis sono, quam mentis suspirio exprimenda.

O dulcissime Salvator, Christe Iesu, gratias ago tibi ex intimis visceribus animae meae, qui tanta charitate nos misere perditos redemisti pretio sanguinis tui, et qui in signum huius amoris tui, nec non in pignus futurae gloriae sacramentum corporis et sanguinis tui nobis tam admirabili potentia, sapientia et bonitate dedisti in cibum et potum, denique ad haec divina mysteria me vilissimum peccatorem in numerum tuorum sacerdotum seu servorum ineffabili clementia vocare dignatus es. **Gratiarum actionis.** **Laud. de at. trib. et benef. div.**

Sed heu me miserum, quod hactenus tam indigne vocatione mea vixi, et toties, et tam graviter te Deum meum offendi peccatis meis, (praesertim his N...) sed nunc de iis doleo ex intimo corde meo, et amo te ex tota anima mea, et deinceps tibi soli servire, placere et adhaerere propono. **Contritionis.** **Amoris.** **Propositi.**

Purae intentionis. Proindeque nunc accedens ad altare tuum, ex omni affectu cordis mei tibi hoc sacrificium, seu dignissimam hostiam corporis et sanguinis tui, quam tu ipse semel pro nobis in ara crucis obtulisti, offero ad laudem et gloriam aeternae maiestatis tuae, in memoriam sacratissimae incarnationis, vitae, passionis ac mortis tuae, in gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis, toti coetui electorum, et mihi indignissimo peccatori hucusque praestitis, vel unquam praestandis. Pro salute quoque fidelium vivorum, N... et solatio defunctorum N... Et utinam ex omni affectu, fervore et desiderio amicorum tuorum, seu regnantium in coelis, vel militantium in terris, hoc tam grande tuae pietatis opus peragere possem.

Fidei. Corde siquidem credo, mi Iesu, et ore confiteor, (utinam ad salutem meam) quia Pater aeternus, Deus seipso summe beatus, potens, perfectus, et nullius egens, secundum infinitam misericordiam suam sic dilexit mundum, ut te filium suum unigenitum nobis daret salvatorem. Credo quoque, quod tu ipse, Patri aequalis per omnia, ex vi immensae charitatis tuae de sinu Patris descendisti in uterum virginis, et propter nos homines homo factus es, et quod ex amore nostri hoc sacramentum in ultima coena instituens, verum corpus et sanguinem tuum, id est, teipsum nobis ad manducandum dedisti, et denique Patri tuo factus obediens usque ad mortem, temetipsum pro nobis hostiam in ara crucis obtulisti.

Commem. vit. et pass. Dom.

Ideoque magna fiducia venio ad te, o Domine, qui nostri causa tam mira facere, et tam dira pati voluisti. Quid enim negabis, qui sic amasti, ut teipsum dares? Amo te quoque, o bone Iesu, tota virtute cordis mei, et semper deinceps, et aeternum amabo, si tu dederis. Spei. Charitatis.

Sed quid retribuam tibi Domine pro omnibus, quae retribuisi mihi? Ecce me ipsum totum, corpus, animam et omnia offero in omne beneplacitum benignissimae voluntatis tuae. Oblationis. Resignationis.

Verum quid habeo, quod non acceperim? quid vilis peccator, vermis terrae, pauper et inutilis conferre poterit Deo creatori suo? Tuipse potius o Domine , utpote advocatus et mediator meus, dives in meritis et miserationibus, suscipe causam meam. Et ex thesauro immensae charitatis tuae fer opem inopiae meae, et pretium sanguinis tui, omniumque meritorum tuorum repraesenta aeterno Patri tuo, et hinc supple omnem defectum meum, praecipue huius meae, heu nimis languidae praeparationis, qua ad haec Ss. mysteria venio, ut sic ei per te placeat obsequium indignissimae servitutis meae. Humilitatis. Unio cum merit. Christi.

Fac etiam, o bone Iesu, per omnes miserationes tuas, ut hoc tremendum mysterium et admirabile donum charitatis tuae debita semper fide, reverentia et gratitudine prosequar, idque puro et ardenti corde nunc et semper recipiam. Statum hunc quoque meum, N. ad quem me ex singulari gratia vocare dignatus es, charitate, castitate, humilitate, mansuetudine, patientia, so- Petitionis. Profectus in virtut.

brietate, etc. moribusque tibi placitis, et sacerdote seu ministro tuo dignis, excolere studeam, idque ut servitus mea magis tibi placeat, ad maiorem gloriam tuam, ecclesiae utilitatem, et propriam, proximique salutem.

Abnegationis. Unde tandem supplex rogo, ut per virtutem corporis et sanguinis tui abstrahas cor meum efficaciter ab omnibus noxiis affectibus, N... qui gustum ac fructum huius sacramenti impediunt, et intime tibi unias et incorpores, ut gustem, quam suavis sis Domine, et unus tecum efficiar spiritus, ut tu in me, et ego in te maneam, adeoque nihil sit, quod me unquam separare valeat a te. Nam tibi adhaerere mihi bonum est, et ponere in te Domino Deo spem meam. Quid enim mihi est in coelo? et a te quid volui super terram? o pars mea, Deus in aeternum!

Unionis cum Deo.

MODUS BREVIS EXITANDI AFFECTUS ANTE ET POST COMMUNIONEM.

Ex P. Christ. Mayer, in indust.

I. Amabilis Iesu, Deus cordis mei, unde mihi indignissimo peccatori tanta dignatio, tanta dilectio tantae maiestatis, ut me oculis misericordiae tuae tam benigne respicere, tam amanter visitare, tam misericorditer reficere, tam paterne fovere, tam suaviter, efficaciter, mirabiliter ad gloriam mihi praedestinatum, ut spero, deducere hucusque digneris? Benedicta sit in aeternum infinita bonitas et misericordia tua, qua me ingratum cum Patre et sancto Spiritu ab aeterno sic dilexisti, decernendo me cum electis omnibus sic creare, redimere, dotare, vocare, conservare, glorificare, qua me in tempore quoad corpus et animam sic creasti, conservasti, dotasti, tanto pretio lacrymarum, sudoris et sanguinis tui pretiosissimi olim redemisti, tam liberaliter idem pretium mihi applicasti, et nunc applicare non desinis, sic iustificando, sic vocando, sic praeservando, sic te mihi uniendo, sic ad bravium gloriae invitando. Agnosco et amplector caritatem tuam aeternam erga me omnesque electos tuos, atque illorum, omniumque creaturarum possibilium possibili affectu medullitus gratias ago. Agnosco et detestor ingratitudinem meam tantam erga te, atque intime doleo; teque Dominum meum ac

Deum meum simili affectu adoro, laudo, glorifico, in centrum nihili mei infra omnes me dimitto, et maiestati tuae inclino, cum gratia tua sola sim id, quod sum.

In te, o infallibilis veritas, credo, in te, o unica spes mea, mihi plane diffidens spero, te amo et amabo super omnia in aeternum, o fons omnis boni infinite amabilis. Gaudeo de omni perfectione, beatitudine, gloria et beneplacito tuo, meque tibi usque in mortem et annihilationem mei resigno. Totus tuus esse, et in aeternum permanere desidero, sicut tu totus meus esse dignaris. Omnem vitam meam tuo offero obsequio, infinitas vitas, si haberem, lubens oblaturus.

Omnia pia desideria te glorificandi, quae unquam habui, renovo, prava revoco ac detestor, et contra voluntatem meam esse ac fore protestor. Utinam te sic semper amassem, et nunquam offendissem, nec offenderem post hac in aeternum!

Doleo de omnibus peccatis meis, quia tibi, quem diligo super omnia, displicent; cupio, et propono serio emendare omnia, maxime hunc particularem defectum, et novo fervore me totum tuo impendere servitio, conando omnia agenda perfecte facere, maxime hanc virtutem excercere, N. aut reformare hanc actionem ordinariam, N.

In satisfactionem me totum tuo offero beneplacito, veniam cum finali gratia precor et spero per te, bone Iesu, in cuius meritorum abyssum me demergo. Tu aeterna caritate tua supplere digneris omne imperfectum meum per tua sanctissima merita, meque tuo in omnibus conforma beneplacito, gratiam uberem largiens, hos defectus emendandi ... has virtutes exercendi ... aut actiones ordinarias refor-

mandi, et perseverandi in vocatione et gratia tua usque ad finem, ut te, o Iesu, in quem credidi, in quem speravi, quem dilexi in via, cum electis omnibus videam, amem, laudem, glorificem aeternum in patria.

II. Per eandem caritatem tuam, qua cum Patre, et Spiritu sancto sic dilexisti mundum, o bone Iesu, memento et miserere totius ecclesiae tuae sanctae, eiusque capitum, praelatorum, principum, pastorum, statuum ecclesiasticorum, saecularium, religiosorum, omniumque qui maxime possunt gloriae tuae et saluti animarum prodesse et obesse.

Parentum item, fratrum, benefactorum et amicorum meorum, qui se mihi commendarunt, qui me contristaverunt, aut quos ego contristavi, offendi, iuvare neglexi, quos per me indignum in viam salutis dirigere decrevisti, omniumque vivorum et defunctorum, pro quibus mori dignatus es.

Horum omnium propitius miserere, defunctis requiem, vivisque gratiam concede, ut tibi perfectissime, sicut scis et vis, placeant, per merita beatae Virginis Mariae, matris tuae, et omnium sanctorum, quae tibi tuis unita offero repraesentanda aeterno Patri, (una cum omnibus desideriis, conatibus et obsequiis meis valde imperfectis,) cui olim obediens factus usque ad mortem, nunc gloriosus pontifex assistis ad interpellandum pro nobis. Pater respice in faciem dilecti filii tui, et per eum miserere nobis, gratiam largiens, ut te cum eodem dilecto filio tuo, et sancto Spiritu cognoscamus, amemus, laudemus et glorificemus cum omnibus electis tuis nunc et in aeternum.

Miserere nostri Domine, miserere nostri, et adiuva nos, sicut nosti nobis necesse esse in

corpore et anima. Scis omnia, potes omnia, qui vivis et regnas in saecula.

III. O regina sanctorum omnium, sancte angele custos, omnes sancti patroni mei, pro omnibus beneficiis nobis collatis et conferendis in aeternum, magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen eius in idipsum.

AD SACRUM FACIENDUM PRAEVIA OBLATIO S. BONAVENTURAE.

Ecce coelestis Pater, recolens mortem illam unigentii filii tui, Domini nostri Iesu Christi, offero tibi hanc hostiam, quam ipse olim obtulit pro mea et totius mundi salute. Ecce ad altare tuae maiestatis transmitto oblationem vivam, quam tu in miseratione multa misisti ad altare crucis immolandam pro nobis. Recordare ergo illius sacrosancti sudoris, quasi guttae sanguinis decurrentis in terram.

Respice illam virgineam carnem, verberibus crudeliter flagellatam, colaphis et alapis caesam, livoribus tumidam, sputis maculatam, sanguine cruentatam, spinis perforatam, clavis confixam, lancea vulneratam.

Illa ergo pietas, quae filium tuum traxit et vicit, ut in statera crucis totius mundi peccata libraret, ipsa te cogat Pater misereri nobis miseris. Respice, obsecro, non nostra peccata, sed in faciem Christi tui. Non enim in iustificationibus nostris preces nostras prosternimus, sed in multitudine miserationum tuarum.

LITANIAE EUCHARISTICAE

TUM SACRIFICANTIBUS, TUM COMMUNICANTIBUS UTILES, EX SACRA SCRIPTURA COLLECTAE.

Nota. Quae his signis ( ) inclusa reperies, ad solos sacerdotes pertinent, et ab aliis praeteriri possunt.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Pater de coelis Deus, qui sic dilexisti mundum, ut filium tuum unigenitum dares, eumque pro nobis carnem sumere, et crucem subire fecisti; *Miserere mei,*

Ut cum totis visceribus, et intimis amoris affectibus te excipiam, et meipsum totum, quantus sum, tibi reddam, nec mihi sed tibi vivam.

Pater aeterne, qui amore nostri proprio filio non pepercisti, sed pro nobis omnibus illum tradidisti; *Miserere mei,*

Ut tantae charitatis opus grata mente recolere, atque in hoc sacro mysterio commemorare valeam.

Pater sanctissime, qui misisti filium tuum in mundum, non ut iudicet mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum; *Miserere mei,*

Ut corpus et sanguis eius non mihi sit ad iudicium et condemnationem, sed ad vitam et salutem.

Pater sapientissime, qui mirabili consilio salutem nostram operatus es in medio terrae, et filium tuum, quem ab aeterno tibi aequalem genuisti, in tempore de virgine nasci, et in hoc sacramento novo et admirabili modo existere, et usque ad consummationem saeculi nobis adesse voluisti; *Miserere mei,*

Ut tam ineffabilis gratiae et charitatis tuae beneficiis nunquam ingratus inveniar.

Pater optime, apud quem advocatum habemus Iesum Christum, qui est propitiatio pro peccatis nostris; *Miserere mei,*

Ut per eum peccatorum veniam et indulgentiam apud te consequi merear; ecce enim agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Pater potentissime, qui voce clara testatus es, hunc esse filium tuum dilectum, in quo tibi bene complacuit; *Miserere mei,*

Et quia tibi de actibus meis placere non valeo, respice in faciem Christi tui, ut per eum gratiam in oculis tuis inveniam.

PATER liberalissime, qui iuxta promissionem filii tui dilectissimi dabis nobis, si quid petierimus in nomine eius; *Miserere mei*,

Ut hoc, quod unice precor, obtineam; nimirum, ne unquam indigne vel ad iudicium corporis et sanguinis filii tui mysteria sumam.

PATER orphanorum, in quem sperant oculi omnium, et tu das illis escam in tempore opportuno; *Miserere mei*,

Et panem quotidianum da mihi hodie; panem, inquam, vivum, qui de coelo descendit, ut confirmet cor meum, et nutriat in aeternum.

II.

FILI redemptor mundi Deus, qui ex infinita charitate opus nostrae redemptionis suscepisti, et in castissimo Mariae virginis utero carnem sumens, in similitudinem hominum factus es, et habitu inventus ut homo; *Miserere mei*,

Ut tam immensae charitatis tuae, et sanctissimae incarnationis memoriam intimo corde recolam, quoties per hoc sacramentum nasceris in anima mea.

IESU dulcissime Salvator, qui parasti mensam in conspectu nostro adversus omnes, qui tribulant nos; *Miserere mei*,

Ut nunquam praevaleant adversum me inimici mei, nec timeam mala, quoniam tu mecum es, et in hoc sacramento mihi intime praesens.

Iesu amabilissime, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; *Miserere mei*,

Ut relever pondere peccatorum meorum, quoniam sicut onus grave gravata sunt super me; et refice hoc coelesti pabulo esurientem ac deficientem spiritum meum.

Iesu misericordissime, qui misertus es super turbas, diu te sustinentes, et non habentes quod manducarent, mirabili virtute potentiae tuae omnes ad satietatem pavisti; *Miserere mei*,

Ut non deficiam in via, si fuero coelesti fraudatus alimonia.

Iesu liberalissime, qui pinguem nobis dedisti panem, praebentem delicias regibus, et cibas nos ex adipe frumenti; *Miserere mei*,

Ut sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, nec arescat aliquando cor meum, si obliviscar comedere panem meum.

Iesu benignissime, qui nos exhortaris ad sumendum te, dicens: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus; et: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; *Miserere mei*,

Et da mihi hunc panem et potum digne sumere, ut non esuriam nec sitiam iterum, nec moriar in aeternum.

Iesu suavissime, quem Zachaeus suscepit gaudens in domum suam, ac centurio prae reverentia non est ausus recipere sub tectum suum; *Miserere mei,*

Ut utriusque affectum, id est, amorem et timorem, semper iungam, cum te suscipio in domum meam.

Iesu humillime, qui etiam cum publicanis et peccatoribus familiarius agere, et manducare dignatus es, dicens: Non esse sanis opus medico, sed male habentibus; *Miserere mei,*

Ut ad me quoque peccatorem divertere digneris; sana animam meam, quia infirmatur ad mortem.

Iesu rex magne et mirifice, qui, ut ostenderes potentiam ac divitias regni tui, fecisti nobis grande convivium, et ad illud omnes regni tui subditos tam amanter vocare dignatus es; *Miserere mei,*

Ut ad hoc divinum convivium laetanter et propere, sed nunquam nisi veste nuptiali indutus accedam.

Iesu amantissime, qui desiderio desiderasti, antequam patereris, hoc pascha manducare cum discipulis tuis; *Miserere mei,*

Ut quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita ad te Deum vivum in hoc sacramento desideret anima mea.

Iesu purissime, qui volens instituere hoc sacramentum, primum pedes discipulorum tuorum, positis in terram genibus, abluisti in signum puritatis ac munditiae, quam nobis haec Ss. mysteria sumpturis commendatam esse voluisti; *Miserere mei,*

Et amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccatis meis munda me, non tantum pedes, sed et manus et caput abluens, id est, ut affectus et opera et intentio pura sint, dum mensae tuae particeps esse cupio.

Iesu benignissime, qui lignum vitae in medio paradisi, id est ecclesiae tuae, contra omnes morbos, et ipsam mortem animae nostrae posuisti; *Miserere mei,*

Ut fructum vitae et immortalitatis inde capiam, et renovetur ex eo, sicut aquilae, iuventus mea.

Iesu largissime, qui te ipsum nobis dedisti nascens in socium, convescens in edulium, moriens in pretium, et regnans demum daturus es in praemium; *Miserere mei,*

Ut pro tantis beneficiis omni tempore benedicat tibi anima mea, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto tuo.

Iesu veracissime, qui te ipsum tradens in cibum et potum dixisti: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; et: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur; *Miserere mei,*

Ut non vacillem in fide et verbis oris tui, quia tu es ipsa veritas, in cuius ore non est inventus dolus aut mendacium; es quoque Deus summe potens, apud quem non est impossibile omne verbum.

Iesu mitissime, qui discessurus ex hoc mundo ad Patrem, reliquisti nobis iuge monumentum immensi amoris tui, et fecisti in hoc sacramento memoriam mirabilium tuorum, iubens nos hoc facere in tui commemorationem;
Miserere mei,

Ut semper memoria memor sim tui, ineffabilem potentiam, sapientiam ac bonitatem tuam hic relucentem venerer assidue, nec unquam obliviscar omnes retributiones tuas.

Iesu mansuetissime, qui nec Iudam a consortio discipulorum et mensa tua in ultima coena excludere voluisti;
Miserere mei,

Ut ego, heu nimis indignus et infidelis servus tuus, nunquam cum Iuda fiam reus corporis et sanguinis tui.

Iesu gratissime, qui peracto hoc mysterio coram discipulis tuis Patri aeterno gratias egisti, et, hymno dicto, ad hortum, orationis locum, egressus es;
Miserere mei,

Ut nunquam ab hoc tam excellenti convivio ingratus recedam, sed tanti beneficii seria consideratione, magis magisque in tui amorem exardescat anima mea.

Iesu, sacerdos in aeternum, et pastor bone, qui temetipsum in ara crucis obtulisti victimam, et posuisti animam tuam pro ovibus tuis, easque pascis ipso corpore et sanguine tuo; *Miserere mei*,

Et quia erravi sicut ovis quae periit, require servum tuum, et reporta me humeris tuis in ovile tuum, et pasce in loco pascuae, ubi me collocasti.

Iesu clementissime, qui discipulis, in Emaus euntibus, te specie peregrini adiunxisti, et in fractione panis demum te cognoscendum praebuisti;
Miserere mei,

Ut te, quem sub his figuris vere mihi praesentem credo, etsi oculis non video, tandem revelata facie contemplari merear, et interim, dum me dulci alloquio tuo et pabulo corporis tui pascere dignaris in via, amore et desiderio tui ardens in me sit cor meum.

III.

Spiritus sancte Deus, qui mysterium incarnationis Domini nostri Iesu Christi mirabili virtute divinitatis operatus es in utero virginis, eam ineffabili modo foecundans et sanctificans, ut dignum filii Dei habitaculum effici mereretur;
Miserere mei:

Ut ego quoque eundem Dominum ac Deum meum sincero affectu ac puro corde in hoc sacramento concipere, et deinceps sanctis operibus palam ostendere valeam.

IV.

S. Trinitas unus Deus, qui aperis manum tuam, et imples omne animal benedictione; *Miserere mei,*

Ut panis ille, qui confirmat cor hominis, detur mihi ad vescendum, et in fortitudine cibi illius ambulem per hoc desertum usque ad montem sanctum tuum.

S. Trinitas unus Deus, qui filiis Israël in memoriam liberationis a dura servitute Pharaonis agnum paschalem, nostri salvatoris typum, edere iussisti; *Miserere mei,*

Ut quotiescunque sumo haec divina mysteria, nostrae redemptionis opus grata mente recogitem.

S. Trinitas unus Deus, qui filios Israël, per desertum euntes, manna de coelo et cibo angelico, omne delectamentum in se habente, pavisti, sed tandem super eo nauseantes severe punisti; *Miserere mei,*

Ut purgato cordis palato gustem et videam, quam suavis sit Dominus, nec unquam nauseet anima mea super cibo isto tanquam levissimo.

S. Trinitas unus Deus, qui non semel olim irreverentiam et iniuriam, circa sacrificium et arcam (figuras tantum et umbras huius sacramenti nostri) commissam, gravi punitione castigasti; *Miserere mei,*

Ut his exemplis monitus, cautius, sanctius et religiosius sacrosancta mysteria tua tractare satagam.

[S. TRINITAS unus Deus, qui pro infinita clementia tua elegisti me in ministrum tuum, et de stercore erigens pauperem, voluisti me fungi sacerdotio, ut offeram tibi dona et sacrificia in odorem suavitatis; *Miserere mei,*

Ut huic tam sublimi et sanctae vocationi dignis moribus respondeam, tibique puris manibus ac mundo corde semper immolem sacrificium laudis, et reddam tibi Altissimo vota mea.]

[S. TRINITAS unus Deus, qui vis sanctos habere ministros, dicens: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum; *Miserere mei,*

Ut a terrenis curis et carnis desideriis abstrahatur cor meum, ut in sanctitate et iustitia coram te servire valeam omnibus diebus vitae meae.]

V.

SANCTA MARIA, quae sola inter mulieres benedicta, ad altissimum Dominicae incarnationis mysterium electa, et a Spiritu sancto praeparata, Dominum coeli et terrae castissimis visceribus tuis concipere, novem mensibus gestare, ac mundo salvatorem edere meruisti; *Ora pro me,*

Ut et ego indignus famulus tuus hunc ipsum Dominum, imo filium tuum pura mente in hoc [sacrificio] (vel) sacramento suscipere et portare [aliisque dispensare] valeam.

Omnes ss. angeli, et archangeli, qui Dominum vestrum, propter nos hominem factum, humiliter adorastis, et iacentem in praesepio regem vestrum cum stupore venerati estis, nec non gaudium de nato salvatore nunciastis, et iam regnanti in coelis ad ministerium semper adsistitis, quin etiam ipsum altare, celebrante sacerdote, frequentes ac venerabundi cingitis; a *Orate pro me*,

Ut et ego hunc panem angelorum digno semper honore tractem, et eius frequenti usu sic confirmetur cor meum, ne unquam mihi praevaleant inimici mei.

a *Ita testantur S. Patres: Chrysostomus, Gregorius M. Vide in Aphoris. nostris Eucharist.*

S. Ioseph, qui in sponsum Mariae Deiparae, et in nutritium Christi Iesu a Deo delectus, sponsae et coniugi tuae sedulam curam et obsequium, alumno ac filio tuo putatitio omnem cultum et honorem praestitisti; *Ora pro me*,

Ut et ego utrique sedulo famulari valeam, et praesertim Christo in venerabili sacramento debitum cultum ac reverentiam semper exhibeam.

VI.

S. Simeon, qui longa exspectatione et vehementi desiderio Messiam videre cupivisti, eumque tandem oculis tuis cernere, et in ulnas tuas suscipere meruisti, dicens prae gaudio: Nunc dimittis etc.; *Ora pro me*,

Ut et ego ardenter desiderem videre Iesum in gloria, nec minus vehementi desiderio ad ipsum in hoc sacramento vere praesentem semper anhelem, eumque suavissime complecti merear ulnis animae meae.

S. Magi et Reges, qui stella duce de longinquo venientes, ad regem regum recens natum properastis, eique munera vestra singulari fide et intima devotione, procidentes in terram, humiliter obtulistis; *Orate pro me,*

Ut ego quoque ad hunc ipsum regem, vere in hoc sacramento praesentem, adorandum, et muneribus meis licet exiguis honorandum, simili fide et religione veniam, vel potius donis eius praeveniar, et simili, qua vos, clementia suscipiar.

Omnes Ss. Patriarchae et Prophetae, qui variis typis, figuris et umbris huius sacrificii et sacramenti mysteria praefigurastis, et ad Messiam ingenti desiderio, multis votis ac suspiriis anhelastis; *Orate pro me,*

Ut ego, non quidem umbram, sed rem ipsam, non figuram, sed ipsam veritatem, non arcam, sed Sanctum Sanctorum, non oves aut boves, sed ipsum Dei filium sancte tractare, ac puro corde complecti valeam.

Omnes Ss. Innocentes, qui Christo recens nato tenella corpora vestra, et ipsos infantiae atque innocentiae annos novelli martyres consecrastis; *Orate pro me,*

Ut ego ingrediar in innocentia mea ad altare Dei, et una cum hoc [*sacrificio*] sacramento me ipsum Deo meo hostiam vivam, sanctam, placentem offerre valeam.

S. Ioannes Baptista, qui visitatus a Christo et matre eius exultasti prae gaudio in utero matris tuae, postmodum vero indignum reputabas te, qui solveres corrigiam calceamenti eius, dignus tamen, qui, ipsius Christi praeconio, maximus inter natos mulierum, et plusquam propheta audires, et sacrum ipsius verticem baptizando contingeres; *Ora pro me,*

Ut et ego laetabundus introeam ad altare Dei, ad Deum qui laetificat iuventutem meam; sed tamen non sine timore et profunda humilitate coram tremenda eius maiestate comparere studeam.

VII.

S. Petre, princeps apostolorum, qui Christum filium Dei vivi, non quidem ex instinctu carnis et sanguinis, sed ex revelatione aeterni Patris in coelis, confessus es, et pascendas ab eo oves, sed et claves coeli accepisti; *Ora pro me,*

Ut ego in hoc sacramento viva et immobili fide confitear verum Deum ac Dominum meum Iesum Christum, eumque vere ac realiter hic praesentem agnoscam, proindeque eum, ut par est, reverear.

S. Paule, qui factus ex lupo agnus, ex persecutore praedicator evangelii, ex vase contumeliae vas electionis, et raptus in tertium coelum de coelestibus mysteriis singulariter edoctus fuisti, adeoque institutionem et legimum usum huius sacramenti gravissimi, verbis tradidisti; *Ora pro me,*

Ut ego accessurus ad haec tremenda mysteria, prius serio iuxta monitum tuum probem meipsum, solicite cavens, ne illa ad iudicium et mortem suscipiam, nec unquam reus efficiar corporis et sanguinis Domini.

S. Ioannes, dilecte Domini, qui in novissima coena singularis tui erga magistrum, eiusque vicissim erga te amoris fiducia recubuisti super pectus Domini, et inde suxisti fluenta coelestia, quae eructasti postea scribens evangelium, et instar aquilae sublimius evolans ad contuenda, nobisque reseranda divini et incarnati verbi mysteria; *Ora pro me,*

Ut ego ad Christum salvatorem meum, in sacramento praesentem, magis trahar amore, quam deterrear timore, et sancta fiducia innitar super dilectum meum, hauriamque in gaudio aquas vitae de fontibus salvatoris.

Omnes Ss. Apostoli, qui in ultima coena. ab ipso Christo salvatore sacerdotes creati, potestatem accepistis consecrandi haec Ss. mysteria, sed praemissa pedum lotione, quasi symbolo puritatis, de interiori munditie huc necessaria

admoniti, et sic ad verum agnum, id est, corpus et sanguinem Domini vestri manducandum admissi estis; *Orate pro me,*

Ut et ego gratiam et munus sacerdotii (*per vestros successores manuum impositione mihi collatum*) debito honore venerer, et nonnisi mundata prius conscientia ad participanda haec divina mysteria veniam.

Ss. Evangelistae, qui institutionem huius sacramenti illustri testimonio asseruistis; *Orate pro me,*

Ut ego plena fide, spe viva, charitate fervida hoc magnum mysterium venerari semper ac participare valeam.

Omnes Ss. Discipuli Domini, qui una cum primis fidelibus perseverantes eratis quotidie in communicatione fractionis panis, ita ut credentium esset cor unum et anima una, nec quisquam aliud suum esse diceret; *Orate pro nobis,*

Ut et nos, qui de uno pane et de uno calice participamus, nonnisi in unione pacis et vinculo charitatis ad sacramentum pacis et amoris accedamus, id ipsum dicamus et sentiamus omnes, et sic unanimes uno ore honorificemus et glorificemus Deum et Dominum nostrum Iesum, qui est pax nostra, faciens utraque unum.

VIII.

Omnes Ss. Martyres, qui Christo, regi martyrum, corpus et sanguinem suum

nobis in ara crucis et communionis offerenti, corporis et sanguinis vestri victimam reddistis; *Orate pro me,*

Ut ego spirituali martyrio mortificem membra mea super terram, et [oblaturus] suscepturus sacra mysteria, me ipsum prius mactem Deo hostiam vivam, acceptabilem, sanctam, Deoque placentem, sacrificium iustitiae, in odorem suavitatis.

Omnes Ss. Pontifices et Confessores sacerdotes Domini, qui ut ministri Christi, et fideles dispensatores mysteriorum Dei, sancte functi estis sacerdotio, et pro populo hostiam placationis frequenter obtulistis, eundemque pane verbi et sacramenti indefesse pavistis;

Orate pro me,

Ut et ego munere fidelis [sacerdotis] christiani strenue fungar, ne oblata salutis remedia sprevisse, vel gratiam Dei in vacuum recepisse forsan inveniar.

IX.

S. Francisce, qui conscius puritatis ac sanctitatis ad sacerdotium requisitae, ab eo prae reverentia abstinuisti;

Ora pro me,

Ut et ego munus tam sanctum et sublime condigne aestimare ac honorare studeam.

S. Thoma de Aquino, qui angelico pollens ingenio, et excellenti doctrina cultum

ac venerationem sanctissimi sacramenti singulariter in ecclesia promovisti;
Ora pro me,

Ut huius sacramenti fides, devotio et reverentia magis indies crescat ac proficiat in anima mea.

Omnes Ss. Monachi et Eremitae, qui egressi de aegypto huius seculi, id est, mundo mortui, et avulsi ab uberibus, ablactati a lacte, quod propinat mundus, non amplius suspirastis ad ollas carnium, sed concupiscentias carnis viriliter calcantes, cibo angelorum, manna de coelo, pane vivo pavistis in deserto huius seculi animas vestras, donec veniretis ad terram promissionis lacte et melle manantem; *Orate pro me*,

Ut ego viles aegypti cibos fastidiam, voluptates, inquam, seculi spernam prae desiderio huius cibi coelestis, nec delecter siliquis porcorum, cui datum est vesci pane filiorum.

Omnes Ss. Virgines et Viduae, quae plusquam virili animo constans propositum continentiae et castitatis arripuistis, adeoque obtulistis corpora vestra hostiam vivam sponso vestro Deo viventi, regi seculorum immortali, et sic castas ac perpetuas cum sponso nuptias celebratis; *Orate pro me*,

Ut ego per vinum germinans virgines castitatis zelum imbibam, ac continue puri cordis amore indissolubile teneam cum sponso vestro connubium, eumque in hoc sacramento vere

praesentem medullitus ac totis visceribus amplectar et exosculer.

X.

S. Maria Magdalena, quae una cum sorore Christum hospitio excepisti, sed vacans a ministerio, et sedens ad pedes Domini, audiebas verbum illius; alias quoque in convivio pharisaei pedes Domini lacrymis tuis ubertim manantibus lavisti, et capillis tersisti, sic et amorem in Dominum, et dolorem criminum palam ostendens; denique pendenti in cruce adhaesisti, et sepultum vi amoris aestuans quaesivisti; *Ora pro me,*

Ut et ego a curis seculi abstraham cor meum, et quaeram prae omnibus in otio sancto vacare Deo; accessurus vero ad Dominum meum in hoc sacramento, prius contriti cordis lacrymas offeram Deo meo, et crucifixo libenter adhaeream, non quaerens gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi.

Omnes Sancti et Electi Dei, qui iam revelata facie, in patria, visione beata adspicitis, et pleno iam ore manducatis panem illum, quem nos nonnisi per speculum in aenigmate conspicimus, et aliena specie velatum accipimus. Vos enim felices portum tenetis, ad quem nos miseri tendimus. O quot inter tempestates et pericula viatico

egemus, ut superemus! Viaticum Christus est; via utique, veritas, et vita, unicum solatium peregrinationis nostrae;

Orate pro nobis,

Ut eo nos saltem sustentemur in via, donec vobiscum et nos satiemur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis eius potemur in patria.

ORATIO.

Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO ANTE COMMUNIONEM.

O benignissime Iesu, in unione illius charitatis, liberalitatis, gratitudinis, devotionis et dignationis, qua tu in ultima coena hoc sacramentum instituisti, sumpsisti, apostolis tuis sumendum dedisti, et voluisti illud in tui memoriam a sacerdotibus et fidelibus tuis usque in finem saeculi offerri et sumi; da mihi et omnibus celebrare sacrificium, et communicare volentibus, sic pure, reverenter, amanter et devote corpus et sanguinem suum offerre et sumere, ut fructum omnem, ad quem hoc sacramentum instituisti, et quem in ullis unquam piis devote communicantibus, vel et offerentibus operatus es, in nobis etiam opereris, ad tuam et sanctorum gloriam, nostramque et

omnium, pro quibus tenemur aut intendimus offerre, aut orare, salutem praesentem et perpetuam. Amen.

ORATIO POST COMMUNIONEM, PRAESERTIM IN MORBO.

Gloria tibi Christe, qui in dulcedine tua pauperem meam animam visitare et refocillare dignatus es. Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Iam te teneo, dulcis amor, iam ultra non dimitto te, iam mundo et omnibus, quae mundi sunt, lubens valefacio, iam gaudens ad te venio, Deus meus. Nihil amodo, nihil, o bone Iesu, me separabit a te; tibi enim Christe coniunctus sum, in te vivam, in te moriar, et in te, si volueris, in aeternum permanebo. Vivo iam non ego, vivit vero in me Christus. Taedet nunc animam meam vitae meae, cupio dissolvi et esse cum Christo; mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum. Iam non timebo mala ambulans in regione umbrae mortis, quoniam tu mecum es Domine, et sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus; sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei?

Benedic mihi Iesu amantissime, et nunc in pace dimitte me, quoniam vere tuus sum ego, et in aeternum ultra nunquam dimittam te. O si felici tibi copula nunc socier in aeternum; o si totus in te immergi, totus absorberi et sepeliri in te merear; o si anima mea, inter amplexus tuos suaviter requiescens, absorbeatur tota in te, et felicissime fruatur te Deo ama-

tore suo. Quid mihi iam ultra cum mundo, mi amantissime Iesu? Ecce nec in coelis quidquam praeter te volui. In manus tuas Domine Iesu, commendo spiritum meum. Recipe me, dulcis amor, ut in aeternum mihi bene sit in te, et in pace suaviter in te obdormiam et requiescam. Amen.

ASPIRATIONES DEVOTAE

AD MEMBRA CHRISTI CRUCIFIXI.

Salve Iesu, dux sanctorum,
Mundi lux, rex angelorum,
Via, vita, veritas.
Pax et salus filiorum,
Tua quos o vir dolorum,
Gignit mors et charitas.

Pater noster. Ave Maria.

DECAS I. DIE DOMINICA.

AD PEDES.

Ave Iesu, rex praeclare,
Super omnes Iesu chare,
Tuae crucis me consortem
Fac, ut tecum gustans mortem,
Intrem tecum gloriam.

Culpa terret huc tendentem,
Sed crux, visa fulcit mentem,
Quin affixum dum te cerno,
Toto corde me prosterno,
Nec despero veniam.

Clavos pedum plagas duras,
Et tam grandes, heu, fissuras,
Circumplector ex affectu,
Sed exhorrens in aspectu,
Tam dolendo vulnerum.

Tantae grates charitati,
Quas agemus sic salvati?
O redemptor perditorum,
O susceptor orphanorum,
Pater clemens pauperum!

Dulcis Iesu, pie Deus,
Unum quaerit amor meus;
Habens te, quid non habebit?
Totus mundus quid valebit
Sine tuo numine?

Plagas tuas rubicundas,
Et cavernas tam profundas,
O me sinas introire,
Ut hic tuae latens irae,
Protegar a fulmine.

Coram cruce procumbentem,
Tuos pedes amplectentem,
Non me bone Iesu sperne,
Sed ut Magdalenam cerne,
Tuis stratam pedibus.

In hac cruce stans erectus,
O si spectet me dilectus,
Sicut Petrum tunc respexit,
Cum hic lapsus resurrexit,
De peccati sordibus.

Quaeram Iesum, sed in cruce,
Nec spe fallar ipso duce,
O dilecte (si digneris)
Ecce me, fac amplexeris,
Et sub alis protege.

O per sacros precor pedes,
Duc nos tecum cohaeredes,
Pedes nostros per desertum,
Ambulantes in incertum,
Via pacis dirige.

Salve Iesu, dux sanctorum,
Mundi lux, rex angelorum,
Via, vita, veritas.
Pax et salus filiorum,
Tua quos, o vir dolorum,
Gignit mors et charitas.

Pater noster. Ave Maria.

DECAS II. FERIA II.

AD GENUA.

Salve Iesu, fons bonorum,
Spes et vita peccatorum,
Agnus purus, verus Deus,
Crucis ligno tanquam reus,
Lassis pendens genibus.

O quam pauper! o quam nudus!
Qualis, heu, in cruce ludus
Verbum Patris fuit factus!
Sponte tamen, non coactus
Traditus nocentibus.

Iesu, nostrae spes salutis,
Et redemptor servitutis,
Tune servis redimendis,
Servus factus huc descendis,
De coelorum culmine?

O maiestas infinita!
O res saeclis inaudita!
Quid pro tali charitate
Non dem tota voluntate?
Sanguinem pro sanguine?

Vacillantes tu firmasti,
Tu trementes confortasti,
Quin elisos erexisti,
Compeditos tu solvisti,
Coeli planans ardua.

O mi Iesu, fons salutis,
Quantae signa das virtutis!
Inde tibi tam coelestes,
Et inferni, quam terrestres,
Iure curvant genua.

Amor tuus, amor fortis,
Non extinctus aquis mortis.
Per hunc, pia mihi cura,
Precor, adsis in pressura,
Fac a morte liberer.

Quid, heu, miser sum facturus,
Actu vilis, corde durus?
Nonne vivam salvatori?
Qui non fugit pro me mori,
Ne sons ego morerer?

Tui tractus per amorem,
Ecce sequor in odorem;
Impar quidem charitate,
Sed pro tua pietate
Supple, vel dissimula.

Aequo minus est quod praesto,
Corpus obstat hoc quod gesto;
Sed tu vides imperfectum,
Et tu solus, qui defectum
Vindices a macula.

Salve Iesu dux sanctorum,
Mundi lux, rex angelorum,
Via, vita, veritas,
Pax et salus filiorum,
Tua quos o vir dolorum,
Gignit mors et charitas.

Pater noster. Ave Maria.

DECAS III. FERIA TERTIA.

AD MANUS.

Salve Iesu, pastor bone,
Heu, quam lassus ex agone,
Nec non crucis mole fractus,
(Quam portasti procul tractus)
Fixis pendes manibus!

Manus sanctae vos avete,
Quasi rosis adimpletae,
Dirae crucis ramis iunctae,
Et crudeli ferro punctae,
Rivis decurrentibus.

En ut sanguis circumquaque
Manu fluit ex utraque,
Heu cruore purpuratae!
Manus clavis perforatae!
O salutis pretium!

Manus cruci copulatas,
Sed ad opem haud ligatas
Rebus duris contemplabor,
Nec me vana spe solabor
Contra morae taedium.

Stipulantur quas exponis
Manus plenae coeli bonis,
Queis auditum et loquelam,
Visum dabas et medelam,
Miserator omnium.

Optans per te reddi sanus,
Tuas supplex posco manus.
Sane me, et salvus ero;
Potes enim, quid ni spero?
Medice languentium.

In tam lata charitate
Num fraudabor bonitate?
O per crucem precor almam,
Perduc nos ad crucis palmam,
Debellatis hostibus.

Causa mei sic extensus,
In te meos trahe sensus,
Meum posse, velle, scire
Fac a cruce non abire,
Sed adstringe manibus.

Manus, o quae nos plasmastis,
Et corruptos reparastis,
Quidnam reddet bonis tantis,
Plagis duris, rivis sanctis
Pauper et inutilis?

En cruore tuo lotum,
Tibi me iam dedo totum,
Tuae sanctae manus istae
Me defendant, Iesu Christe,
Cunctis in periculis.

Salve Iesu, dux sanctorum,
Mundi lux, rex angelorum,
Via, vita, veritas.
Pax et salus filiorum,
Tua quos o vir dolorum,
Gignit mors et charitas.

Pater noster. Ave Maria.

DECAS IV. FERIAS IV.

AD LATUS.

Salve Iesu, summe bonus,
Ad parcendum mire pronus.
Membra tua macilenta,
Heu, quam dire sunt distenta!
Sed et ossa torrida!

Ave latus salvatoris,
In quo latet mel dulcoris,
Ex quo patet vis amoris,
De quo scatet fons cruoris,
Corda rigans arida.

Ave latus, quod palpavit
Thomas, fide dum nutavit.
Eia nobis hic iucunda
Porta patet ad foecunda
Salvatoris pascua.

En huc ego iam propinquo,
(Parce Iesu, si delinquo,)
Verecunda quidem fronte,
Bonitatis tamen fonte,
Provocor ad ardua.

O fons dulcis super vinum,
Virus pellens serpentinum!
Qui sititis huc venite,
Et gaudentes hinc haurite,
En fons vitae scaturit.

Plaga rubens aperire,
Fac cor meum te sentire.
O si detur introire,
Quid tunc amplius sitire
De terrenis poterit?

O quam dulcis sapor iste,
Quo gustaris, Iesu Christe,
Hoc imbuta mens sapore,
Mirum, si non ex amore,
Carnis rumpat vincula.

Tuum latus en contingo,
Et ardenter ad me stringo,
Iuxta te me, Iesu, pone;
Nam sic luctans cum dracone
Non timebo iacula.

In hac fossa me reconde,
Induc meum cor profunde,
Ubi degens convalescat,
Et in pace requiescat,
Vim non timens hostium.

Hora mortis fac reatus
Expers; tuum petam latus,
Cui iungar cum beatis,
Nec involvar praeparatis
Laqueis venantium.

Salve Iesu, dux sanctorum,
Mundi lux, rex angelorum,
Via, vita, veritas,
Pax et salus filiorum,
Tua quos o vir dolorum,
Gignit mors et charitas.

Pater noster. Ave Maria.

DECAS V. FERIA V.

AD PECTUS.

Salve salus mea Deus,
Iesu, dulcis amor meus!
Salve pectus venerandum,
Cum tremore frequentandum
Vitae domicilium.

Summae thronus tu virtutis,
Forma tectus servitutis,
Tu voluptas beatorum,
Sed et robur afflictorum,
Inopum refugium.

Eia, Christe, tuum pectus
Meos trahit en affectus;
O si vagos comprehendat,
Et algentes mox succendat
Sacri flamma pectoris!

Pectus mihi praesta mundum,
Ardens, pium, verecundum,
Forte, patiens, benignum,
Sine quo quid aget dignum
Pigra moles corporis?

Pectus habes et candoris,
Et superni plenum roris.
En hoc nostrum coelo satum,
Sed, heu, terris inclinatum
Tu divinis imbue.

Splendor Patris et figura;
Dare gaudens ex natura.
Desolatis et egenis,
Bonitatis unda plenis
Cataractis influe.

O praedulce Iesu pectus,
Tuo fiam dono rectus,
Expeditus ab erratis,
Vi transcendam charitatis
Carnis desideria.

En abyssus hic sophiae,
De qua vena mentis piae
In dilectum quondam fluxit,
Dum recumbens in te suxit
Abdita mysteria.

Hic thesaurus bonitatis,
Arca viva deitatis,
Officina charitatis,
Et totius Trinitatis
Nobile triclinium.

Ave sanctum Dei templum,
Nobis patens in exemplum.
O totius author boni,
Fac electis nos apponi
In terra viventium.

Salve Iesu, dux sanctorum,
Mundi lux, rex angelorum,
Via, vita, veritas.
Pax et salus filiorum,
Tua quos o vir dolorum,
Gignit mors et charitas.

Pater noster. Ave Maria

DECAS VI. FERIA VI.

AD COR.

Summi regis cor aveto,
Te saluto corde laeto,
Te complecti me dilectat.
Istud unum quod affectat
Cor ad Deum sitiens.

O quis amor cor urebat!
Quis te zelus tunc urgebat!
Cum te prorsus exhaurires,
Ut te nobis impartires
O fons indeficiens!

O mors dira, mors amara,
Mors immitis et avara!
Quae nec Iesum praeterivit,
(Per quem mundus omnis vivit)
Rumpens cor dulcissimum.

O per mortem quam tulisti,
Et cor fodi permisisti,
Meum precor intellectum
Redde simul et affectum
Cordi tuo consonum.

In medullam cordis mei
(Haec est meae summa spei)
Tuus amor inseratur,
Meus in te transferatur
His caducis altior.

Quisquis amat sed sincere,
Hoc, quod loquor, sentit vere.
Nullus modus est amori;
Pro dilecto suadet mori
    Amor morte fortior.

Amans vivit per amorem,
Nescit moras, vincit morem,
Legit, scribit, studet, plorat,
Psallit, orat et laborat,
    Nulli cedit aspero.

Sit haec prima mihi cura,
Ut te mente quaeram pura.
O quam vere tunc laetabor,
O quam felix gloriabor,
    Ubi te possedero!

Pande cordis tui sinum;
Scis queis meum sit vicinum.
En, mi Iesu, cor paratum,
Cape, ne vis potestatum,
    Caro, mundus rapiat.

Huc anhelat, huc movetur;
Ubi pauset et movetur.
En, se tibi vult unire,
Noli precor, fastidire;
    Fac te solum sapiat.

Salve Iesu, dux sanctorum,
Mundi lux, rex angelorum,
    Via, vita, veritas.
Pax et salus filiorum,
Tua, quos o vir dolorum,
    Gignit mors et charitas.

Pater noster. Ave Maria.

DECAS VII. SABBATHO.

AD CAPUT.

Salve caput coronatum,
Totum spinis cruentatum,
Conquassatum, vulneratum,
Sputis, plagis deformatum;
O coelorum gloria!

Vultus Iesu speciosus,
Sed Iudaeis odiosus;
Heu, quem praefert nunc pallorem,
Cuius spectans in decorem
Coeli gaudet curia.

Priscus vigor, flos et viror,
Quo recessit, Iesu, miror.
Ut lux solis in defectu,
Sic appares in aspectu,
Nec est tibi species.

O mi Iesu sic affectus,
Pro me vilis et despectus;
Cum favoris tui signo
Patens, precor, sit indigno
Tua mihi facies.

Quid si reum dedignaris,
Vide quorsum patiaris
Tot labores et sudores,
Tot dolores et pavores,
Mortis et supplicia.

Hac confisum passione,
Me tuere pastor bone.
Ovem, quam sic quaesivisti,
Tamque care redemisti,
Duc ad vitae pascua.

Iesu caput militantis
Coetus, atque triumphantis,
Fac per caput sic tractatum,
Ne sim membrum delicatum
Sub spinoso capite.

Tuae sanctae passioni
Me consortem fac apponi.
Quin per crucem tecum mori,
Praesta crucis amatori,
Dum hoc versor climate.

Sed cum portus instat mortis,
Sis auditor quaeso fortis.
In suprema mortis hora
Veni, Iesu, sine mora
Cum salutis anchora.

Cum me voles hinc migrare,
Bone Iesu dux appare.
Esto clemens advocatus,
Nec ut Iudex accuratus
Mea penses opera. Amen.

SALUTATIONES

AD QUINQUE CHRISTI VULNERA.

UNA CUM PETITIONE PRAECIPUARUM VIRTUTUM.

---

1. AD VULNUS DEXTRI PEDIS.

PRO HUMILITATE.

Salve vulnus gratiosum
Christi fluens sanguine;
Cor da mihi fructuosum,
Vacans omni crimine,
Simplex, humile, zelosum,
Imo gaudens ordine.

Pater noster. Ave Maria.

2. AD VULNUS SINISTRI PEDIS.

PRO CASTITATE.

Salve plaga peramaena,
Profluens solatio;
Per te fiat in me plena
Carnis castigatio.
Casto tibi mens serena
Iungat se consortio.

Pater noster. Ave Maria.

3. AD VULNUS DEXTRAE.

PRO OBEDIENTIA.

Salve rubens ex cruore
Iesu plaga dexterae;
O fac tua cum fervore,
Iussa quaeram propere,
Geram corde, promam ore,
Praestem promptus opere.

Pater noster. Ave Maria.

4. AD VULNUS SINISTRAE.

PRO MANSUETUDINE.

Salve levae vulnus Christi,
Sanguine purpureum;
Fac me quovis casu tristi
Mitem et pacificum;
Cunctis quos tu redemisti,
Lenem ac benevolum.

Pater noster. Ave Maria.

5. AD VULNUS CORDIS.

PRO CHARITATE.

Salve scissum cum dolore
Iesu cor dulcissimum,
Nobis patens ex amore;
Praesta cordis gaudium.
Det virtutum cum splendore
Charitas incendium.

Pater noster. Ave Maria.

HYMNUS

DE SEPTEM DOLORIBUS B. V. MARIAE.

DOLOR I.

Ave dulcis mater Christi,
    Quae cor tuum gladio
Transfigendum discis tristi
    Senis vaticinio.
Tanti memor fac doloris,
    Mihi sis praesidio,
Ut post vallem hanc moeroris
    Coeli reddar gaudio. *Ave.*

DOLOR II.

Ave dulcis mater Christi,
    Quae prae regis furia
Saevientis caede tristi,
    Fugis exul patria.
O regina beatorum,
    Memor sis exilii;
Fac infractus vi malorum
    Fiam consors filii. *Ave.*

DOLOR III.

Ave dulcis mater Christi,
Natum lugens inclytum.
O quam tristis quaesivisti
Triduo iam perditum!
Huius memor o doloris,
Christum fac inveniam,
Et inventum per amoris
Nexum semper teneam. *Ave.*

DOLOR IV.

Ave dulcis mater Christi,
Quae dilectum filium
Capi, caedi flens vidisti
Manibus crudelium.
O per poenas patientis
Nobis sit impunitas,
Per amorem condolentis
Matris crescat charitas. *Ave.*

DOLOR V.

Ave dulcis mater Christi,
Quae sub crucis arbore
Gemens natum morte tristi
Vides, heu, succumbere.
O per ensem hunc doloris,
Qui tunc scidit animam,
Fac me firmet vis amoris
Mortis ad victoriam. *Ave.*

DOLOR VI.

Ave dulcis mater Christi,
Quae de cruce mortuum
Ulne natum suscepisti,
Madens unda fletuum.
Eia, praestet vis doloris,
Mater plena gratiae,
Ut supremis server horis
Gremio clementiae. *Ave.*

DOLOR VII.

Ave dulcis mater Christi,
Quae sepulchro conditum
Plagens natum, heu, quam tristi
Mente volvis abitum!
In virtute tot dolorum,
Quos tulisti fortiter,
Omnem contra vim malorum
Stare nos viriliter,
Demum sorte beatorum
Fac gaudere iugiter. *Ave.*